



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus I. De Accusatoribus, Inquisitionibus & Denuntiationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)



LIBRI V.
 INSTITUTIONUM CANONICARUM
 TITVLVS I.
 De Accufationibus, Inquifitionibus &
 Denuntiationibus,



Ludicia Criminalia, quando excessus notorii non sunt, arg. c. Evidentia 9. tribus potissimum modis instituuntur, per Accufationem, Denuntiationem aut Inquifitionem, c. Quatiter 24. V. Contra quos: quorum prioribus contra criminofum ad instantiam five alicujus delationem: posteriori verò ex Officio iudex procedit.

ARTICVLVS I.

De Processu contra Delinquentem Notorium, & in Flagranti crimine deprehenfum.

SUMMARIUM.

1. In notorijs Juris Ordo non fervatur,
2. Omne delictum vel Notorium est vel Occultum,

3. Notorium aliud Juris est, vel Praesumptionis,
4. Aliud Facti, Permanentis, Transientis vel Interpolati.
5. Ordo Juris fervandus est, nisi delictum coram pluribus commissum,
6. Atque in ratione delicti evidens sit,
7. Et de ejus notorietate plenè confiter.
8. Notoriè delinquens puniri potest, nemine eum deferente,
9. Et sine solennitatibus Judicij.
10. Sape opus non est ejus citatione,
11. Vel condemnatione per sententiam solemnem:
12. Neque locus appellationi,
13. Vel judicis tanquam suspecti recusationi.
14. Salubre monitum Salyceti.
15. Sine Juris ordine etiam puniuntur in flagranti deprehensus:
16. Sive is deliquerit in conspectu ipsius judicis,
17. Sive ab alio repertus ad hunc ducatur;
18. Ut serè neque opus sententiæ, neque locus sit appellationi.



Regula

1. **R**egula est, cum delictum est notorium, iudicem ad delinquentis punitionem procedentem ad Iudicarii Ordinis observationem non adstringi, §. *Hu omnibus*, post *can. Prohibentur 17. §. In manifestis* post *can. Qua Lotharius 16. Sc. 2. q. 1. Sc. Ad nostram 21 de Iurejurando*, cujus veritas ac vis, delicti perquam celebri partitione declarata, luculentior evadet.

2. Delictum itaque aliud Notorium dicitur & aliud Occultum. Notorium est, quod ullâ tergiversatione celari non potest, ut, quod coram populo vel majori istius parte perpetratur, *can. De manifestis, 17. q. 1. cit. Sc. Super eo 3. de Test. cogend.* Occultum verò hoc loco censetur non illud tantum, quod soli Deo, secretorum omnium & cordium humanorum scrutatori, *can. Deus, 22. q. 1. cognitum*; sed omne illud, cujus probatio à communiter contingentibus difficulter haberi potest: ut ferè sunt dolus, simulatio, furtum, adulterium, suppositio partus, Sodomia, Simonia, conspiratio, tractatus de necesse inferenda, venenatio & alia delicta, quæ per se clam & in occulto committi solent, aut per accidens ita committuntur, *Clarus Practic. Criminal. §. fin. q. 9. n. 2. Farinacius Prax. Criminal. q. 18. n. 105. q. 21. n. 7. & Haunold. Tom. 6. de J. Sc. Tract. 2. n. 27.* ex quibus occulta delicta per Accusationis, Denuntiationisve aut Inquisitionis ordinarias, & aliquando per extraordinariam Exceptionis vias, *Art. sequentibus* explicandas, in iudicium deducuntur: eaque judicialiter confessi, de iisve servatò Juris ordine legitime convicti pro ipsorum & personarum etiam varietate variè coercentur.

3. Notorium delictum tale esse potest duplici, Juris scilicet aut Facti, notorieta-

te. Juris notorietate Notorium delictum evadit per rei spontaneam confessionem, in iudicio factam & non revocatam, *c. Vestra 7. c. fin. de Cohabit. cler. Sc. mul. Sc. c. Cum olim 14. in fine, de V. S.* vel per plenas probationes judiciales, scilicet per testium omni exceptione majorum depositiones legitime receptas, vel per instrumentum publicum vel authenticum in iudicio productum, quibus, quod in causa conclusum jam sit, nihil amplius opponi potest, *c. Cum olim cit. Sc. l. fin. C. de Probat. Vel per sententiam definitivam condemnatoriam ad poenam vel criminis declaratoriam, quæ transit in rem judicatam, c. Vestra Sc. c. fin. cit.* Imò etiam per interlocutoriam, si ea cum causa cognitione lata est, & in rem judicatam transit, *Panormit. in c. Cum olim cit. à n. 3. Mascard. de Probat. concl. 2106. à n. 9. & Fagnanus in c. Vestra cit. à n. 71.*

Ad hanc Juris Notorietatem à DD. reducitur Notorietas Præsumptionis, fundata in circumstantiis, ex quibus jus aliquid ita præsumit; ut id haberi velit pro veritate: & ex ea, perinde ut ex alia probatione plena, ad sententiam definitivam procedi possit; sic enim, si quis palam & omnibus cernentibus in domo sua retineat mulierem suspectam, Juris præsumptio est; intercessisse inter eos copulam carnalem, *Fagnanus in c. cit. n. 8.*

Facti Notorietate Notorium est delictum, quod perpetratum est in oculis hominum, puta, totius vel majoris partis alicujus vicinæ, parochiæ, collegii &c. ut ullâ tergiversatione celari vel negari non possit; cujusmodi erat delictum itiliius, qui novercam suam uxoris locò habuit, & propterea absens ab Apostolo judicatus, atque in interitum carnis Sathanæ traditus est, *1. Corinth. cap. 5. V. 1. Sc. 5.* Juris ordine prætermisso, *can. De manifesta, 2. q. 1. Ubi Archidiacon. n. 4. cit. Fa-*

cit. Farinac. q. 21. num. 41. & Fagnanus n. 77.

4. Hoc facti Notorium triplex, & facti Permanentis, Tranfeutis vel Interpolati est. Facti permanentis est, quod notorie fe exhibet oculis, ut id videre omnes poffit; fic enim notoria est incarceratio clerici, qui in carcere publico & omnium oculis patente continuo detinetur: concubinatus ejus, qui concubinam retinet domi, communem mensam & lectum, ex eaque proles habet; Felonia Vasalli, qui in super habitò Fidelitatis juramentò dominum suum hostiliter persequi non desistit. Tranfeutis seu momentanei, quod in populi vel majoris istius partis conspectu est commissum: ut homicidium perpetratum in platea aut foro publico, in eòve palam & plurimis audientibus prolata blasphemia, vel alicui illata injuria verbalis: quæ, si coram iis sæpius iterata sint, facti interpolati notoria delicta nuncupantur, *Glossa in c. Vestra cit. V. Notorium, ubi Panormit. n. 15. Sylvester V. Notorium, n. 2. Speculat. Tit. de Notoria Crim. §. 8. à. n. 8. & Fagnan. l. cit. à n. 78.*

5. Dubium nunc & varii DD. sensus sunt de requisitis ad hujusmodi facti criminosi Notorietatem. Quidam enim ad hanc exigunt publicitatem loci, & diurni etiam temporis circumstantiam seu qualitatem; ut, quod in villa, in domo priuata, aut noctu commissum est, notorium dici non possit. Alii ad eam sufficere, aiunt, quod commissum sit in loco publico seu tali, in quo plures homines esse possint: dummodo in decem, aut septem, & secundum aliquos in trium hominum conspectu sit perpetratum. Alii demum id in iudicis, facti qualitatem & circumstantias ponderantis, arbitrio reponunt. Horum ego sententiæ facillè accedo, si istius arbitrium consentaneum sit Juris

communis principiis: à quibus meò quidem iudicio aberraturus non videtur, si aduersus reum, tanquam delinquentem notorium, ac proinde Juris ordine non seruatò, non procedat, nisi

Imprimis delictum ab eo coram decem aut saltem sex hominibus, id certò & per sensum cognoscentibus, sit perpetratum; cum enim ad constituendum populum saltem decem homines exigantur, *arg. can. Unio 10. q. 3. delictum, coram paucioribus, quàm decem, aut sex hominibus perpetratum, in populi aut majoris istius partis conspectu perpetratum non intelligitur, Sanchez Lib. 6. Consil. cap. 3. dub. 3. n. 10. & Passerinus Tribunal. Regul. q. 10. n. 4.*

Deinde, nisi factum, non solum quoad substantiam siue existentiam, sed etiam in ratione delicti notorium sit, *c. Tua nos 8. de Cohabit. cler. & mulier. ut, ulli excusationi vel tergiverfationi locum non esse, constat; cum, si, an vg. homicidium ob sui defensionem, inculpatæ tutelæ moderamine seruatò, vel culpâ dolòve commissum sit, non constaret, notorium non intelligeretur; quòd excusatione vel tergiverfatione celari possit, cit. Clarus q. 9. n. 3. Farinac. q. 21. num. 49. Haunold. n. 30. & Passerin. q. 10. n. 5.*

Demum, nisi de ipsa delicti Notorietate ipsi constet; cum enim processus per viam Notorii fundetur in ipsa illius notorietate, de ista plenè constare est necesse. De ea autem sic iudici duobus modis constabit. Primò quidem, si delictum commissum sit in præsentia ipsius, sedentis pro tribunali, aut aliàs in actu siue exercitio jurisdictionis existentis, idque cum populo siue majori istius parte præsentè intuentis, *Speculat. cit. §. 8. n. 12. Salycetus in l. Ea quidem 7. C. de Accus. n. 91. Gomez Lib. 3. Var. cap. 1. n. 48. & Passerin. cit. q. 10. n. 6. Secundo, si testes, saltem*

saltem duo & omni exceptione majores jurati & parte citatâ judicialiter examinati, de delicti existentia simul & notorietate deponant; quod scilicet id, populò vel majori istius parte præsente ac spectante sit perpetratum, ut colligitur ex *c. Cum dilectis 15. de Purgat. canon.* & cum Speculat. *g. cit. n. 17.* ac Joan. Andr. *ibid.* docent *citr.* Malcard. *concl. 1105. n. 3. & 6.* Farinac. *n. 105.* Fagnan. *n. 105.* & Passerin *n. 9.* His præmissis supra insinuata

8. Regula est, ubi delictum notorium, ejusque notorietas declarato modo comperta est, judicem ad Ordinis judicarii observantiam non adstringi, per *textus cit.* cum enim Ordo ille introductus sit ad criminis aut juris dubii veritatem investigandam, ubi hæc est notoria, illius observatio necessaria non est. Quare

Primo, ubi delictum est notorium, opus non est delinquentis accusatione vel denuntiatione: sed judex ex officio procedere potest, juxta illud S. Ecclesiæ Doctoris Augustini, *Evidentia peccati sceleris non indiget clamore accusatoris:* quod à Glossa Interlin. in *Genes. cap. 4. & c. Evidentia 9. hæc Rubr.* refertur. Consonant textus *can. Manifesta 15. Sc. q. 1. cit. b. Tua nos & c. Ad nostram cit.* Ratio est partim; quod in judicio Criminali accusator solummodo desideretur; ut, delictis ejus industriâ detectis ac probatis, nocentes & publicè perniciosi homines juxta animadversione coercerentur; quæ ratio non urget, ubi notorietas crimen prodit, reumque omnibus argumentis potentius convincit; partim verò; quod, ut Reipublicæ, criminis notorietate maximè læsæ, debita satisfactio non impediatur vel prorogetur, vindictam accelerari expediat, & morosi accusatoris delationem non expectari, *citr.* Gomez *n. 42.* Farinac. *n. 62.* Haunold, *n. 32.* & Gonzalez *in c. in Evidentia cit. n. 6.*

Secundo, necessarius non est libellus, 9. contestatio litis, calumniæ ac malitiæ juramenta & alia solennitates, pertinentes ad judicii ordinationem; cum enim hujusmodi solennitates non exigantur in judiciis summaris, *Clement. Sape 2. V. Nos autem, de V. S.* neque exigentur in notoriis, in quibus judex ad judicarium Ordinem non est adstrictus, *citr.* Gomez *n. 42.* Farinac. *n. 65.* & Scaccia *Lib. 1. de Judic. cap. 79. n. 8.*

Tertio, necessaria etiam non est 10. citatio, saltem si delictum notorium ita sit; ut ullâ probatione super notorietate non sit opus, & reo ullam excusationem defensionemve, quâ delicti gravitas aliquò modò extenuetur, non competere, evidenter constet, *citr.* Haunold, *n. 33.* & Passerin. *n. 11.* Quod si factum, quod notorium est, excusatione aliquâ extenuari vel defendi non posse, ita exploratum non sit, citatio necessaria erit; cum Jure naturali competens sui defensionis adimi, & inauditus condemnari nemo possit, *can. 1. can. Deus omnipotens Sc. 2. q. 1. c. Cum inter 5. de Except. c. Qualiter 24. V. Debet hæc Rubr. DD. cit.* cum *citr.* Gomez *n. 43.*

Quarto, non requiritur sententia, 11. saltem in scriptis & cum aliis Juris solennitatibus prolata, juxta *Novell. 8. cap. 9.* verba, *Et causam ex non scriptis examinante, ubi Glossa V. Ex non scriptis cit.* Gomez *n. 45.* & Farinac. *n. 115.* Ratio quia generatim, cum judex sine ordine ac figura judicii procedit, sententiam in scriptis proferri necesse non est, Glossa *in c. fin. V. Illustrium de Sent. & re judic. in 6.* ubi Francus *n. 6. limit. 9.* Imò in delictis notoriis præceptum judicis reo poenam intimantis sufficere, cum Bossio *Tit. Quomodo proced. in crim. notor. n. 16.* & aliis asserit Passerinus *q. cit. n. 12.* Nisi tamen reus, id esse notorium, neget; hoc enim

enim cafu fententiã notorii declaratoriã opus foret, ut idem agnofcit cum Covarruvia in c. Alma p. 1. §. 2. n. 9. cit. Claro n. 8. & Farinac. n. 116.

12. Quintò locus non eft appellatiõ; ut, iftã non obftante, ad executionem valeat procedi, c. Cum fit 5. §. fin. de Appellat. Ratio eft; quia in notoriis iudicis pronuntiatio Juris executio potiùs quàm fententia eft, cit. Speculat. §. 8. n. 15. Clarus q. 74. n. 2. & Gomez n. 47. quod eò cafu procedit, quò in pronuntiatione in delinquentem, tanquam criminis notorii reum, pœna decernitur; fi enim ad hanc fimpliciter & notorietate non expreffã condemnaretur, appellatiõ locum fore, DD. cit. non inficiantur. Eadem appellatiõnis locus & deferendum efferet, fi fieret à fententia declaratoria notorietatis: uti & fi appellans exprimeret caulã, quã notorietatem tolleret vel obfulcaret: ficut contingeret, fi delictum confeflus confessionem fuam erroneam, aut non-fpontaneam, fed metu extortam, quereretur in appellatiõne. Et demum, fi appellatiõne interpoftã iudici a quo, ne ad executionem procedat, fuperior inhibuiffet; tali enim cafu illi ad hunc recurrendum efferet pro inhibitionis, tanquam in cafu appellatiõnem non admittente factã, revocatione, ut cum DD. cit. obfervat Haunold, Tract. 2. cit. n. 36.

13. Sextò, in notoriis non admittitur recufatio iudicis tanquam fufpecti, c. Pro-pofuit 24. de Appellat. fi pro delicto pœna determinata fit Jure, ftatutò, vel confuetudine. Secus, fi his determinata non fit; cum enim in omnibus, quã arbitrio iudicis committuntur, is rationabiliter poffit efferet fufpectus, ne inordinatò affectu ductus determet iniquum & iuftò graviozem pœnam infligendò, inferat gravamen, ejus recufationi locus erit, quoties pœna ipfius arbitrio eft com-

miſſa: ficut tali cafu ab exceſſu pœnã delicto etiam notorio decretã, interpoſitã appellatiõni efferet deferendum, cit. Gomez n. 46. Farinac. n. 117. & Haunold. num. 37.

Quantumvis autem hætenus de Notorio tradita à DD. frequentiori calculò approbata ſint, falubriter tamen cum Salyceto in l. Ea quidem cit. n. 93. Clarus q. 9. cit. n. 5. Fagnanus in c. Veſtra cit. n. 101. uterque in fine iudices monent; ne delicta temerè notoria aſſerant; cum notoria dicantur multa, quã non ſunt, c. Conſuluit 14. de Appellat. ideòque eos honeſtius tutiùsque acturos aiunt, ſi, quantumcunque delictum videatur notorium, ſuper ejus tamen notorietate, quàm multorum commodè poſſunt, à vicinia teſtium recipiant deſiptiones; & citatione monitiõneque omiſſã ad condemnationem executionemque non facilè procedant; cum, ſi non ſervatò ordine judiciario, ſive iſtius ſubſtantialibus omiſſis, ad eas facilè deveniant, ſe exponant periculo pœnã, depoſitò officiò, infligendã, ſi de Notorio nequeant docere.

Non ſervato Juris ordine procedi etiam ſolet adverſus reum, in flagranti crimine, ut loquimur, ſive iſtius actu deprehenſum & apprehenſum; quò delinquens notorius & in flagranti deprehenſus æquiparentur, Gloſſa in c. Cum non ab homine 10. V. Deprehenſus, de Judiciis. Hæc tamen æquiparatio perpetua non eſt; ut adeò hac in re locus, imò opus fit diſtinctione; vel enim reus delinquit in conſpectu ipſius iudicis, pro tribunali ſedentis, aut aliã jurisdictionem actu exercentis, & complurium aliorum ei adſtantium: vel à miniſtris Juſtitia, aut etiam ab aliis, ita repertus ducitur ad iudicem?

Si prius, & reus delictum non negat, nullãque deſenſionem ei competere, con-

tere, confet, ad ejus tanquam notorii delinquentis punitionem non servatò Juris ordine; ac proinde sine accusatione denuntiationeque & litis contestatione, sine alia probatione vel termini ad sui defensionem parandam assignatione, procedere judex potest; quod talis delinquentis aspectus inducat probationem criminis evidentem, ac sufficientem ad causæ decisionem, *citr. Speculat. §. 8. n. 12. Salycetus n. 91. Gomez cap. 1. n. 48. & Farinac. q. 21. n. 158.* Quodsi reus delictum, vel id in conspectu judicis esse commissum, neget, punitiò nequaquam præcipienda, sed recipiendæ sunt delicti probationes. Cujus expedita & à DD. approbata praxis est; ut judex in suo conspectu delinquentem, *vg. testem in judicio deponentem falsum, advocatum prævaricantem, alium blasphemantem aut homicidium ita perpetrantem incontinenti examinet; & si delictum confiteatur, sine alia probatione vel solennitate pœnam ei decernat.* Si verò id neget, super delicto recipiat testes: hisque, id in judicis pro tribunali sedentis pluriùmque ei adstantium præsentia & conspectu commissum, in rei, ut loquuntur, confrontati facie deponentibus, ad ejus punitionem procedat: quod ita prædicari Lud. de Penna in l. *Quotiens* 17. C. de Dignit. & alii testantur apud *citr. Farinac. n. 159.*

17. Si posterius, & reus in flagranti deprehensus statimque apprehensus ad judicem ducatur, Imprimis à Notario in Actis Judicialibus describenda est relatio eorum, qui reum judici sistunt: recipiendique testes super delicto deprehensioneque in flagranti. Deinde examinandus est ipse reus; & si delictum simpliciter sine ulla excusatione defensionéque fateatur, pœna ei secundùm facti & personæ qualitatem est decernenda,

Quodsi ejus aliquam excusationem defensionémque, pœnam excludentem vel minuentem, afferat, *vg. quod aggressorem occiderit ad sui defensionem, vel rem alienam surripuerit in compensationem crediti, quod aliter conlequi non potuerit, ei terminus ad allegationis sive exceptionis suæ probationem est statuendus.* Si verò delictum neget, testes super eo & deprehensione in flagranti jam recepti, sunt repetendi: quorum testimoniis si appareat convictus, terminus ei dandus est ad defensionem: & si, quod delictum vel pœnam excludat, vel minuat, nihil afferat, tum demum promerita pœna ei decernenda est & infligenda. Demum, si testibus, quòd non directè & immediatè super delicto: sed super actu extraneo, *vg. super fugam aut clamore deposuerint, plenè convictus non fit, deveniendum est ad torturam; quia deprehensio in flagranti facit, ut reus sine aliis indicis torqueri possit, etiam nullis defensionibus concessis, citr. Clarus n. 2. Farinac. n. 152. & Passerin. n. 22. Ubi*

Dubium est, an in flagranti deprehensio, postquam delictum extra vel in tortura confessus, de eòve legitime convictus est, pœna sine prævia sententia infligi possit. Quod Glossa communiter recepta in l. *Itius fustum* 22. V. *Edem pr. ff. de Hæ, qui infam. not.* affirmat, & in plerisque locis frequentissimò omnium consensu observari, ait Covarr. in c. *Alma de Sent. excom. in 6 p. 1. §. 1. n. 9.* Clarus tamen n. 4. & Farinac. n. 153. exigunt sententiam, sed absque solennitatibus Jure præscriptis prolatam, sive decretum de pœnæ executione: à quo tanquam Juris executione appellatiònem negant, nisi ab excessu pœnæ, judicis arbitriò infligendæ.

ARTICU.

ARTICULUS II.

De Accufationibus.

SUMMARIUM.

19. Accufationis definitio.
 20. Et differentia ab Inquifitione ac Denuntiatione.
 21. Facienda accufatio eft in fcriptis,
 22. Nomine iudicis, accufatoris & rei:
 23. Crimine, loci & temporis circumftantiis expreffis,
 24. Cum accufatoris infcriptione.
 25. Differentia delicti Privati & Publici:
 26. Que Jure Canonico & Ufu fere fublata eft.
 27. Accufare prohibetur mente captus, prodigus, pupillus,
 28. Mulier, fervus,
 29. Infamis, criminofus,
 30. Miles ac Magiftratus:
 31. Qui duo iudicia criminalia fubfcripta habet,
 32. Aut fidei eft fufpecta,
 33. Vel reo reverentiam debet.
 34. Clericus & Monachus Prælatum accufare permittuntur.
 35. Accufare reum non poteft inimicus ejus capitalis.
 36. Cum fuam fuorumve injuriam profequuntur,
 37. Aut crimen exceptum eft, ad accufationem fere omnes admittuntur.
 38. Accufari regulariter poffunt omnes:
 39. Quibusdam fpecialiter exceptis.
 40. Accufari de crimine etiam non infamatus poteft,
 41. Et aliquando, non femper, debet.
 42. Accufationi præmittenda eft mentio:
 43. Si ipfa utilis fit & crimen occultum.
 44. Accufatio impune deferri ante,
 45. Non etiam poft oblatum libellum poteft:
 46. Quin tamen deferta valeat reftaurari.
 47. Eâ malè captâ peior profeutio eft.
 48. Eâ deferta, in accufati crimine aut famam inquiri poteft.
 49. Abfolutus de eodem crimine reaccufari, etiam ab alio, non poteft:
 50. Nifi civiliter tantum, vel per viam exceptionis,
 51. Vel à fola iudicii obfervatione fic abfolutus,
 52. Vel de crimine tranfactum,
 53. Aut accufatio non fideliter aut ad interefte inftituta,
 54. Vel in foro tantum interno facta,
 55. Vel crimen Mixti fori fit.

Accufatio eft Delatio rei criminis in iudicium, ad publicam vindictam folemniter facta. Ita ex communi DD. fenfu Zaccarius ad hanc Rubric. n. 1. & Gonzalez in c. 1. n. 6.

Differt imprimis ab Actione; quòd ifta non fpectet vindictam publicam, five pœnam corporalem vel pecuniariam fifco applicandam, aut etiam dignitatis, beneficii, officii &c. privationem, reo ad aliorum exemplum & terrorem infligendam: fed folummodo fatisfactionem & utilitatem ejus, qui damnus & injurius eft paffus. Deinde ab Inquifitione & Denuntiatione; quòd hæc non exigant folemnitates l. Libellorum 3. ff. & c. Super bis 16. hâc Rubr. requifitas ad accufationem, Gonzalez l. cit. n. 8.

Facienda accufatio eft fecundùm S. Thomam 2. 2. q. 68. art. 2. in fcriptis; ut ejus

ut ejus libellus judici porrigatur ab accusatore, *l. cit. pr.* vel saltem ab isto vivâ voce prolata accusacionem notarius in Actis describat: quod Curiarum usu non infrequenti receptum est, teste Claro §. *fin. q. 12. n. 7.* cùm; ut constet, cujus probatio incumbat accusatori, & ab isto accusatio non facillè mutetur: tum verò; ut iudex, qui eam in pronuntian-do sequi debet, in concipienda sententia non erret. Si tamen crimina forent levissima, accusacionem in scriptis offerri vel redigi, necesse non esse, *arg. l. Levia 6. ff. de Accusat. existimat Sanchez Lib. 6. Consil. dub. 50. n. 6.* Exprimenda autem in Accusationis libello sunt

22. Primò, nomen judicis, *l. cit. pr. junctâ Glossâ V. Consul;* ut appareat, an is competens sit, nec ne; cùm incompetens adversus reum perperam procedat, ab eoque dicta sententia Jure improbetur, *l. 1. §. l. fin. C. Si à non compet. jud. Sc.*

Secundò, nomen & cognomen accusatoris & accusati, *pr. cit.* ut appareat, an sint legitimi, sive an accusare vel accusari Jure permitti, vel prohibiti sint.

23. Tertiò, species, criminis, *vg. homicidium, furtum, adulterium, pr. cit.* ut, quod accusatio spectat, iudex secundùm ejus qualitatem pœnam statuere possit.

Quartò, locus & tempus, scilicet annus & mensis criminis perpetrati, *pr. cit.* partim; ne accusatio vaga & obscura evadat; & reo sui defensio adimatur, vel multò difficilior reddatur; quòd negativam, locò & tempore non coarctatam, probare, & testes falsitatis arguere non possit: partim verò; ut iudex scire possit, an accusacioni non sit præscriptum. *Mensis,* inquam; cùm enim tempus non ita sub sensum cadat, ut locus; & propterea diei faciliùs quàm loci certi o-

bliviscamur, accusatio & criminis probatio nimium constringeretur, si criminis commissi dies aut hora esset exprimenda, Lessius *Lib. 2. de l. §. l. cap. 30. n. 4.* Nisi delictum ratione certæ diei specialiter esset punibile, aut ejus expressio accusatori non justò difficilior, & reo ad sui defensionem utilis vel necessaria foret; hoc enim casu, saltem reò exigente, ipsam etiam exprimendam, cum Farinacio *Prax. Criminal. q. 1. n. 19. §. 20.* vult Guazzinus *Reor. defenf. 3. cap. 3. n. 7. §. 10.*

24. Quintò, inscriptio sive subscriptio accusatoris in crimen, sive ad pœnam Talionis, si defecerit in probatione accusacionis, *pr. Sc. Super his cit.* Quod statuendi ratio justissima fuit; ut coërceretur temeritas accusatorum, *l. fin. C. de Furtis,* qui ad injurias per calumniam inferendas multò faciliùs proflirent, si falsam accusacionem crederent fore inultam, *l. Si cui 7. ff. de Accusat. de qua Talionis pœna sermo redibit ad Rubric. seq. à n. 6.*

25. Porro, ut, quinam ad accusacionem admittantur, planum reddatur, præmittere juvabit Jure proditam & percelebrem partitionem delicti in Privatam & Publicam. Privatam à DD. dici solet, cujus accusatio fere concessa non est cuivis: sed iis tantùm, ad quos pertinet; ut sunt injuriarum, furti, damni arborum furtim cæsarum, bonorum raptorum, expilatae hæreditatis, termini moti & similia delicta, *l. 1. Sc. ff. de Privat. delict.* Publicam autem, cujus accusatio plerumque cuivis de populo conceditur, §. 1. *Instit. de Publ. judic.* quòd id puniri maximè pertineat ad publicam utilitatem: cujusmodi sunt, quæ directè sunt contra Deum aut res Divinas, *vg. blasphemia, apostasia, hæresis, Simonia,*

monia, magia, sacrilegium: vel contra Principis aut Reipublicæ Majestatem, ut perduellionis & alia læsæ Majestatis crimina: vel quæ, licet contra privatam personam committantur, pro publicis tamen haberi voluit Jus aut consuetudo: ut sunt homicidium, parricidium, adulterium, stuprum, veneficium, crimen falsi, vis publicæ & privatæ, ambitus, peculatus, repetundarum, fraudatæ annonæ &c. l. 1. ff. de Publ. judic.

Dixi, Ferè & Plerumque; quia actiones populares, & de suspectis tutoribus removendis, cuiusvis è populo conceduntur, licet judicia publica non sint: & contra adulterii & suppositi partus delicta & judicia publica sunt: licet ad illius certæ duntaxat personæ propinquæ, ad istius autem criminis accusationem soli parentes & hi, ad quos ea res pertinet, non quisvis de populo, admittantur, l. Quamvis 30. C. ad L. Jul. de Adult. & l. Lege 30. §. 1. ff. ad L. Cornel. de Fals. Imò, ut paulò post patebit, plura hominum genera in plerisque, & aliqua in omni delicto ab accusatione remouentur. Unde delictorum & judiciorum Publicorum denominationes à lege vel consuetudine, ea publicis adnumerante, defumendas & mutabiles esse, cum Claro §. 1. n. 6. & cit. Farinacio q. 18. n. 17. observat Haunold. Tom. 6. de r. & l. tract. 2. n. 2. & 3. quòd lex & consuetudo delictum ex privato facere queat publicum,

26. & contra. Quin de Jure Canonico omnia delicta publica censerit, locorumque statutis & consuetudinibus hodie inter ea & privata delicta discrimen fere sublatum, iidem monent; quòd iudex in omnibus ex officio procedat, & ad accusationem quisvis admittatur.

27. Quantumvis autem hoc ita, & accusatio generaliter permissa sit, ob varios tamen defectus & causas accusare va-

ria hominum genera prohibita reperiuntur, & hodie quoque sunt; cum ab ea removeantur, ob defectum corporis vel animi furiosus, mente captus & prodigus: uti etiam surdus & mutus à natura, Decianus *Tract. Criminal. Lib. 3. cap. 1. n. 1. 3. & 16.*

Ob defectum ætatis pupillus, l. Qui accusare cit. V. Itaque, & can. Prohibentur 14. pr. 2. q. 1. Nisi de crimine læsæ Majestatis, l. In quæstionibus 8. ff. ad L. Jul. Majest. vel hæreseos; quia hæc Majestatis crimini æquiparatur, c. Vergentis 10. de Hæreticis, vel nisi, ut dictum, suam aut suorum injuriam prosequatur; hoc enim casu eum cum tutoris consilio admitti, liquet ex can. Lotii, 15. q. 3. & l. Cæris 2. §. 1. ff. de Accusat.

Ob sexum mulier, l. Qui accusare, 28. V. Itaque, & can. Prohibentur cit. exceptò iterum casu, quòd suam suorumve injuriam prosequitur, l. 1. ff. Rubr. cit. & l. De crimine 12. C. de His, qui accusari non poss. can. 1. can. Ex. eo 2. can. Legris 15. q. 3. sicut & læsæ Majestatis, hæresis, l. In quæstionibus & c. Vergentis cit. aliisque iis similibus aut affinis criminibus, Farinac. q. 12. cit. n. 16.

Ob defectum statûs servus; cum enim agere nequeat in Civilibus, l. Servus 6. C. de Judiciis, multò minus in Criminalibus agere valebit, can. Canonica 6. can. Accusationes 7. Sc. 3. q. 5. & l. Quoniam 26. C. ad L. Jul. de Adult. Nisi in Divinæ & humanæ Majestatis læsæ, l. Si quis 20. C. de His, qui accusari fraudatæ annonæ, falsatæ monetæ, fraudati census criminibus, l. Vix certis 53. ff. de Judiciis & cum domini sui defert interfectorem, l. 1. C. de Precib. Imp. off. vel dominum suum acculet de suppressis tabulis testamenti, quòd libertatem sibi relictam asserit, l. Vix certis cit. pr. & l. Nullo 7. ff. ad L. Cornel. de Fals.

B

Quam

Quam tamen dominos accusandi licentiam *l. Si quis cit.* ad Majestatis crimen restrictam existimat Ant. Matthæus de *Crimin. Tit. de Accusat. cap. 1. n. 4.* contra alios, ad aliarum *l. cit.* correctionem excludendam, particulam taxativam tantum ex *l. Si quis cit.* eliminantes apud *cit.* Gonzalez n. 8.

29. Ob delictum infames & criminosi, *l. Qui accusare cit. can. Infames, 16. q. 1. & can. Quarendum 2. q. 7.* Jure quidem Civili infamia Juris, hoc est, qui damnati sunt iudicio aliquo publico seu tali, quod infamiam irrogat: vel, qui ipso Jure sine condemnatione eam incurrunt, *l. Is, qui iudicio 4. ff. de Accusat.* Canonico autem etiam infames infamia Facti, & criminosi quoque nondum accusati, *can. Si qui sunt 2. q. 7. cit.* Clarus *q. 4. à n. 9. & Farinac. q. cit. n. 17.* Propter eandem causam ab accusatione arcentur, qui ipsi in reatu sunt: donec soluti fuerint, aut damnati quidem, sed salva libertate, civitate & existimatione, *l. Neganda 19. ff. hac Rubr. & l. Si quis 5. ff. de Publ. judic.*

30. Ob Sacramentum miles, qui stipendia meret, *l. Qui accusare cit.* ne hac occasione à signis avocetur: & ob imperium Magistratus, qui habent jurisdictionem & Magistratum talem gerunt, ex quo ipsi in jus vocari non possunt, *l. Qui accusare. & can. Prohibentur cit.* Decianus *Tract. & Lib. cit. cap. 15. & 16.*

31. Ob turpem quæstum, vel ejus aut calumnie suspensionem, qui duo judicia adversus diversos diversorum criminum reos subscripta habet, *l. Cum rationibus 16. C. de His, qui accus.* vel pro pecunia accusare, aut ab accusatione desistere sunt parati, *l. Is, qui iudicio 4. ff. de Accusat.* uti & pauperes sive ii. qui minus quam quinquaginta aureos in bonis habent, *l. Nonnulli 10. ff. Rubric. cit.*

Nisi tamen, eos bonæ conversationis & honestæ vitæ esse, constet, Glossa in *l. cit.* Decianus *cap. 22. n. 16.* & demum, qui falsum testimonium subornati dixerunt, *l. Alii 9. C. de Accusat.*

Ob reverentiam filius parentem, *l. Qui accusare cit.* libertus patronum vel ejus heredem, *l. fin. alumnus educato- rem, l. Iniquum 17. frater fratrem vel fororem, l. Si magnum 13. & l. Si fororem 18. familiaris eum, cujus familiaritati inhæsit, l. Si quis 20. C. de His, qui accus. vasallus dominum, Pirthing ad hanc Rubric. n. 6.* 33.

Addendi his videri possunt Clerici, præsertim familiares respectu Episcopi: & Religiosi respectu sui Abbatis aut alterius Prælati Regularis, Sed Jure utrisque, Clericis quidem Episcopi sui accusatio, vel saltem denuntiatio ipsius etiam familiaribus, *c. Nulli 5. Abbatis autem sive Prælati sui delinquentis Monachis ac Religiosis, c. Illa 3. c. Ex parte 11. permissa est; quod ea spectet utilitatem Ecclesiæ vel Monasterii, cujus interest, pro pastore & administratore lupum aut dissipatorem non habere, Gonzalez in c. Ex parte cit. n. 2.* 34.

Neque Episcopum & Abbatem hac in re eximit ipsis debita reverentia & obedientia: cujus ratione Pastorum ac Præpositorum suorum accusatio subditis prohibetur, *can. Sententia 11. & can. Oves 12. & c. 2. q. 7.* quia pendente accusatione Prælato: & quamdiu is officio non privatur, obedientia deneganda non est: nisi præcipiat, ut desistatur ab accusatione; tale enim præceptum, tanquam injustum & in Ecclesiæ vel Monasterii detrimentum cedens, non obligaret, *c. Olim 26. Panormit. in c. Ex parte cit. n. 4.* propter quam Juris, Prælati accusationem permittentis, dispositionem à Clerico & Monacho Episcopum vel Ab-

vel Abbatem accusaturo veniam petendam, cum laudato Interprete, n. 6. & Speculat. de Alore §. Unico n. 18. negat Sanchez Lib. 6. Moral. cap. 12. n. 19.

35. Ob odium inimicus capitalis aut aliis valde infestus, respectu ejus, quem averfatur, c. *Meminimus* 13. & c. *Repelluntur* 7. quò textu ad accusationem non admittuntur etiam inimicis cohabitantes, cum eisque frequenter versantes; quòd, ejusdem voluntatis & affectionis esse, credantur, quos sunt ii, quorum sunt domestici ac familiares. Item, qui contra aliquem in causa criminali testimonium perhibuit, respectu ejusdem causæ, c. *Cum P.* 10. quòd ejus accusatio præsumatur ex odio proficisci. Quæ causa est, cur etiam non admittatur criminofus adversus alium criminofum, can. *Qui crimen*, 6. q. 11. Paganus vel Hæreticus aut Judæus contra Christianum & Catholicum, can. *Pagani*, 2. q. 7. & laicus contra clericum, can. *Nullus*, can. *Laiico* & c. *Cum P.* cit. Multò minùs clerici criminaliter accusare possunt laicos, can. *Sicut*, 9. q. 7. cit. præsertim, cum sanguinis pœna infligenda venit, c. *Sententiam* 9. *Ne Clerici vel Monachi &c.* ex quibus aliisque causis ab accusatione repellentibus latè Decianus *Tract. & Lib. cit.* à cap. 6. Clarus q. 14. & Farinac. q. 12. cit.

36. Rectè tamen hi aliique DD. notant, sicut pupillum ac mulierem, ita pleròsque alios ex recensitis ab accusatione non repelli non solum, quando suam aut suorum injuriam prosequuntur: sed etiam, quando de Ecclesiæ, Monasterii, vel alia publica utilitate agit, arg. c. *De illa*,

37. c. *Nulli &c.* *Ex parte cit.* Uti &, quando agit de crimine læsæ Majestatis, hæresis, simoniæ, sacrilegii, latrocinii, assassinii, testimonii falsi, falsatæ monetæ, fraudatæ annonæ, census aut pecu-

niæ publicæ &c. per text. aut arg. l. *Famosi* 7. ff. ad L. *Jul. Majest.* & l. *Vix certis cit.*

Sicut accusare, sic etiam accusari generaliter possunt omnes delinquentes, nullà ætatis aut sexûs habitâ ratione: dummodo non careant ad delinquendum requisitò usu rationis: ob cujus defectum accusari nequeunt infantes, furiosi, amentes, l. *Infans* 12. ff. ad L. *Cornel. de Siciariis* & l. *Dirius* 14. ff. de *Offic. Præs.*

Dixi, *Generaliter*; quia præter istos accusari & condemnari nequeunt Imprimis mortui ante condemnationem, l. *Ex judiciorum* 20. ff. de *Accusar.* l. 1. &c. C. *Si reus vel accus. morte.* quia crimina mortalitate extinguuntur: nisi fuerint Majestatis (non quomodocunque, sed perduellione & hostili animò in Republicam vel Principem) læsæ, hæresis & similia, l. *fm. junctâ Glosâ ff. ad L. Jul. Majest.* & l. *Manichæos* 4. §. 4. C. de *Hereticis.* Imò etiam vivos accusari nequit post lapsum temporis, quò actionibus criminalibus præscribi, Lib. 2. *Tit. 25.* à n. 128. est dictum. Deinde Papa, Imperator, Rex & quicumque superiorem etiam in solis temporalibus non recognoscunt, Hostien. in *Summa, hæc Rubr. n. 7.* Imò etiam Imperatoris legati, Magistratus populi, durante eorum officio: nisi circa hoc delinquant &, qui Reipublicæ causâ absunt, l. *Hos accusare cit.* Et demum à loco judicii absentes can. *Accusatorum*, 2. q. 8. saltem de crimine capitali, atque ita; ut tempore absentiaæ propositi criminis accusatio nequeat finiri, reusque condemnari, l. *Absentem* 6. C. de *Accusar.* quia non debet quis condemnari indefensus; ne contingat condemnari innocentes. Sed, licet hoc ita sit, spectatò Jure, usu tamen aliud receptum, liquet ex dictis Lib. & *Tit. 2. n. 51.*

B 2

Dobiam

40. Dubium nunc primò est, an, ut accusationem infamia præcedat, sit necesse. Ratio dubitandi est; quòd accusatione, quam non præcedit infamia, lædatur exultimatio delinquentis; ac proinde adverteretur legi Charitatis, famæ, atque existimationis alienæ per occulti delicti manitentionem læsionem inhihentis. Verùm, quia accusatio spectat Reipublicæ utilitatem publicam, delinquentis occulti accusationem Charitati aut Justitiæ adversari, cum S. Thoma 2. 2. q. 68 art. 1. & aliis DD. meritò negat Card. de Lugo de I. & I. disp. 37. n. 76. & 167. quòd infamia accusationi prævia non exigatur ullò Jure: & istius textus, ad criminalem processum delinquentis diffamationem aut huic æquipollentia criminis indicia exigentes, exaudiendi sint de iudice, procedente per viam inquisitionis, ab accusatione eò maximè differentis; quòd; ut hanc inscriptio, inquisitionem verò infamia præcedat, sit necesse, c. *Qualiter* 27. V. *Verùm ita, hęc Rubr. & c. Licet* 31. post *pr. de Simonia*.

Neque in contrarium facit; quòd ad criminum punitionem secundùm notitiam publicam sit procedendum; quia hujusmodi notitia, non per solam diffamationem, eive æquipollentia indicia aut facti evidentiam habetur: sed etiam per depositiones testium, quos accusator producit, aliisque allegationes: quibus in iudicio legitime probatum crimen, occultum desinit, & publicum incipit esse, ut *l. cit.* Doctor Angelicus observat.

41. Dubium secundo est, an quis ad accusandum obligetur. Negant id aliqui, eà persuasi ratione; quòd ex quocunque crimine in Reipublicam redundans damnum viâ denuntiationis tolli valeat, aut impediri. Sed melius alii utuntur distinctione: & licet injuriam aut damnum, per crimen sibi illatum, à quo-

vis remitti, arg. c. *Si de terra* 6. de *Privileg.* & l. *Quæritur* 14. §. 9. ff. de *Edict. lit. Edict.* atque insuper si, ut plerumque solet, Reipublicæ, per crimen læsa, solà delinquentis denuntiatione consuli valeat, a accusationem omitti posse, arg. l. *Unic.* c. *Ut nemo invitus agere* & can. *Si quem*, 2. q. 3. cum *Glossa in can. Quapropter* 46. V. *Deferre*, 2. q. 7. & *Angeio V. Accusatio* n. 2. facile concedant; casu tamen, quò spirituale aut etiam temporale damnum Reipublicæ ex crimine impendens non, nisi institutà accusatione criminali, impediri potest, accusandi obligationem agnoscunt cum S. Thoma 2. 2. q. 69. art. 1. & *Sylvestro V. Accusatio* q. 2. quòd lex Charitatis quemvis obliget ad consulendum communi bono, quandocunque licitè & sine gravi incommodo potest.

Non malè tamen Sanchez *Lib. 6. Consil. dub. 28. n. 1.* addit, si crimen probare possit; quia id legitime probare non valens accusandò injuste læderet famam rei, sèque exponeret poenæ calumniatorum, quin Reipublicæ consulere-tur.

Dubium tertio est, an accusationi necessariò præmittenda sit admonitio secreta. Affirmat id Sylvester *V. cit.* q. 3. juxta illud, *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum* Matth. cap. 18. V. 14. Negat *Glossa in c. Licet* 31. V. *Inscriptio, de Simonia* S. Thomas in 4. disp. 19. q. 2. art. 3. *quæstiunc. 1.* & *Abulensis in Matth. cap. cit. q. 97. ad 6.* Quorum in speciem pugnantes Opiniones conciliari possunt ope distinctionis; Velenim crimen omnino occultum, & certa spes est, delinquentem secretà admonitione corrigendum, & damnum tertio privato vel Reipublicæ illatum aut impendens justà satisfactione compensandum, aut impediendum? Et tunc admonitionem

nitiohem præmittendam, docet lex Charitatis, exigens; ut minimò, quò poffumus, proximi, difpendiò publica & privata damna tollantur & avertantur, Sanchez *l. cit. dub. 28. n. 6.* & Lefsius *Lib. 2. de*

43. *J. & J. cap. 30. n. 12.* Vel reus de crimine publicè diffamatus: aut, fi diffamatus non est, Reipublicæ vel etiam tertio privato imminet grave damnum, v.g. cædes, aut incendium, quòd secretâ admonitione non tollendû prævidetur, aut rationabiliter iudicatur? Et tunc nulla opus est monitione; quia tali casu, sicut punitionem sic & delationem criminis exigit bonum Reipublicæ, prævalens privato, vel periculum proximi: cuius, tanquam injuriam patientis, conditio melior est, quàm hanc inferentis. Ita *citr. Sanchez n. 6. junctò cap. 2. dub. 5. n. 9.* & Lefsius *n. 10. § 13.*

44. Dubium est quartò, an desistere liceat ab accufatione jam inchoata. Non licere casu, quò accusandi obligatio datur, colligitur ex dictis. Casu autem, quò accusator ad id non tenetur, accufationem liberè deleri poffe, defumi videtur ex *c. Licet 14.* ubi Canonici Bisuntini à sui Archiepiscopi accufatione sine pœna recesserunt.

Sed esto, hoc procedat casu, quò accufationis libellus iudici nondum est oblatu; sicut accidit in casu *c. cit.* deferi tamen capta accufatio sine abolitione impunè, hoc est, quin pœna S. C. Turpiliani incurrantur, nequit, postquam ob-

45. lato iudici libellò, inscriptio est facta, per text. *l. Quasitum 5. ff. ad S. C. Turpil.* & argumentum à contrario ductum ex *can. fm. ibi Si quem panituerit accusasse criminaliter & inscriptionem fecisse, junctâ Glossâ V. Panituerit, 2. q. 3.* Ratio est; quia tali casu contracta jam est obligatio probandi delictum, & perseverandû usque ad sententiam, vel subeundi pœnam Talionis, Panormit. *in c. Licet cit. n. 6.*

cùm publicè interfit, accufationem jam captam non intermitti; ut, si ea vera, delictum puniatur: si falsa sit, plectatur calumniator; quòd temerè in innocentis famam grassari sit ausus, Vallens, *ad hanc Rubric. §. 2. n. 8.*

Duo tamen hòc locò DD. notant. 46. Prius est; quòd ab accufatione criminis publici, quam minatus est, accufationis libellò nondum porrectò, desistens, ad reum accufandum postea non amplius sit admittendus, ut colligitur ex *c. cit. § 1. Accufationem 6. C. de His, qui accus.* Is autem, qui post oblatum libellum & inscriptionem sine accusati consensu vel accufationis omittendæ licentiâ, à iudice ex iusta causa, v.g. quia per errorem accufavit, impetratâ, à publici criminis accufatione desistit, præterquam quòd ab eiusmodi accufatione, si eam prosequi velit, repellatur, *l. Qui desiterit 2. ff. § 1. Quamvis 3. C. ad S. C. Turpil.* incurrit alias pœnas ejusdem Senatûs - Consultû, scilicet pœnam quinque librarum auri filco applicandam, *l. Prævaricationis 3. in fine, ff. de Prævaricat. & infamiam, l. Si pro eo 2. C. ad S. C. cit.* atque insuper in expensis & damnis punitur, *l. Qui crimen 3. C. de His, qui accus. non poss.* Dixi, Publici; quia à privati criminis accufatione sine rei vel iudicis consensu desistens pœnâ solum extraordinariâ, arbitriò iudicis infligendâ, punitur, *l. Si quis 7. §. 1. ff. ad S. C. Turpil.* Sylvester *V. cit. n. 8.* & Lefsius *cit. cap. 30. n. 18.* Potterius; quòd accusator casu, quò se errasse & quem accufavit, innocentem esse, advertit, desistere valeat ac debeat ab accufatione: uti etiam, cùm advertit, crimen à se non posse probari, Sylvester *V. Accufatio, n. 6.* & Lefsius *cit. cap. 30. n. 14.* Quibus tamen casibus, ut calumniatorum pœnam effugiat, probare debet, se iustâ causâ seu probabili errore ductum ad accufan-

cusandum, aut legitimæ probationis copiam, quod v.g. testes mortui vel absentes sint, aut datam fidem fefellerint, sibi intercidisse, ut paulo ante est insinuatū, & notat Panorm. in c. fin. de Calumniat. n. 5.

48. Dubium quinto est, an, accusatione defertâ, accusatus sit absolvendus. Suadet id tritum, quò, actore non probante, reus dicitur absolvendus, c. fin. §. Sanè, de Jurjurando & l. Qui accusare 4. C. de E. dendo. Nihilominus adhibenda est distinctio; vel enim accusatus de crimine aliquo graviter infamatus est, vel non? Si prius; super crimine illo inquirendum est, juxta c. Qualiter 24. verba, Si per clamorem & famam ad aures superiorum pervenerit, & ibi DD. Si posterius, tum, licet super veritate criminis nequeat, inquiri tamen potest super ejus fama; sicut super fama Archiepiscopi Bifuntini inquisitio commissa est, c. Licet cit. in fine: & modicis infamiae indicis, aut solâ personæ probæ denuntiatione præcedente, fieri posse, cum Panormit. in c. cit. n. 17. & Claro §. fin. cit. q. 6. n. 4. docet Gonzalez in c. cit. n. 11.

Neque contrarium persuadet tritum in contrarium adductum; quia de Civili tantum: non etiam de Criminali judicio procedit; cum in isto, accusatore etiam nihil agente, in accusati diffamati crimen & in suspecti famam inquiri, sacri Canonnes permittant.

49. Dubium est sextò, an accusatio ejusdem criminis iterari valeat adversus reum, de eo semel per sententiam absolutum. Ratio dubitandi est; quòd res inter alios acta, iis tantum, inter quos acta est, non etiam aliis præjudicet, c. Quamvis 25. de Sent. & re judic. & l. 1. §. 1. Res inter 2. etiam Criminalibus causis, l. Juris 3. C. Quibus res judic. non nocet.

Nihilominus ejusmodi criminis accusationem, neque ab eodem, neque ab

aliis iterari regulariter posse, cum Claro §. fin. q. 57. n. 1. Covarruvia Lib. 2. Var. cap. 10. pr. & Farinacio q. 1. n. 51. rectè defendunt DD. magnò numero relati à Barbola in c. De his 6. n. 2. propter claros textus c. cit. & l. Si cui 7. §. 2. junctâ Glossâ V. Accusari, l. Senatus 14. ff. 1. Qui de crimine 9. C. de Accusat. Ratio est partim; quòd de delicto hominis non debeat sæpius quæri, l. Licet 6. §. fin. ff. Nauta, canpones &c. aliàs enim ipsius innocentia nunquam foret tuta: partim verò propter exceptionem rei judicatæ; quæ revera etiam alteri denuo accusaturo obstat; quia, ut pulchrè Donellus in l. Sape 63. ff. de Re judicata, accusatio respiciens publicum interesse omnibus de populo competit collectivè, & non ut singulis. Unde, qui in bonum Republicæ criminaliter agit, totum istius & populi jus in judicium deducit: quò proinde per sententiam absolutoriam superatò, Republicæ & omnibus eam constituentibus præjudicatur; quòd cum eo omnes egisse videantur: sicut, si dominus unius litis plures procuratores constituat in solidum, sententia contra istorum unum lata domino nocet perinde, ut si omnes succubuissent, c. Si duo 6. de Procurat. in 6. & l. Pluribus 32. ff. eadem. Rubr.

Sed hoc de eodem: non de diversis criminibus procedit, cum ab uno absolutus de alio, etiam ex eodem facto orto, crimine accusari apertè permittatur l. Qui de crimine cit. ubi Bruneman, n. 6. Deinde super eodem etiam crimine id regulare duntaxat: non perpetuum est; cum non desint varii casus, quibus iterata ejusdem criminis accusatio est permissa.

Primò quidem, si de crimine Civileriter tantum & ad privatam interesse actum sit, actioni criminali locum esse, exploratum est ex l. 1. C. Quando civilis actio præjudicet crimini.

Secundò

Secundò fi, cùm criminaliter ageretur, reus abfolutus vel condemnatus fuit per viam exceptionis, in iudicio propofitæ ad illum, non puniendum, fed folummodo ab accufatione vel teftificatione repellendum, Decianus *Tract. Criminal. Lib. 3. cap. 30. n. 2. in fine.* Addit Covarruias *cit. cap. 10. n. 5. limit. 8.* & alii, fi contra eum proceffum fuit per viam Inquifitionis vel Denuntiationis. At melius hoc negant *cit.* Clarus *q. 57. n. 8.* & Decianus *cit. cap. 30. n. 5. & 6.* cùm propter Praxin contrariam: tum verò; quod inquifitio, uti & ad vindictam publicam propofita denuntiatio, fuccedat loco accufationis.

51. Tertiò fi, cùm per viam accufationis procederetur, abfolutus tantum fuit ab obfervatione iudicis; quòd v.g. accufator non legitimus aut libellus efferet ineptus; hòc enim casu eum accufare alius non prohibetur, *l. Libellorum & can. Prohibentur cit. junctâ Gloffâ V. Abolitione.*

52. Quartò, fi à criminis accufatione liberatus est per viam transactionis; quia licet, cùm hæc fuit valida, accufari nequeat ab eo, quocum est transactionis: accufari tamen reus poterit ab alio, inftitutum novò proceffu, Clarus *q. cit. q. 57. n. 6. junctâ q. 58. n. 4.*

53. Quintò, nifi fecundus accufator probet, aut faltem indicia afferat accufationis non fideliter inftitutæ, vel collufionis inter primum accufatorem & reum accufatum; tali enim casu primi accufatoris dolus non obftaret fecundo, pro quo accufare volente militat favor publicus; ne delicta maneant impunita, *l. Prævaricationis 3. §. 1. ff. de Prævaricat.* Panormit. *in c. De his cit. n. 8.* & Clarus *q. 57. n. 5.*

Sextò, nifi accufator fecundus fuam aut fuorum injuriam profequatur, & per proprium juramentum doceat, fe accu-

tionem ab alio inftitutam ignoraffe, *l. Si cui 7. §. 2. ff. de Accufat.* Gloffâ *fin. in c. De his cit. ubi Panormit. n. 9.* & Decianus *cit. cap. 30. n. 23.*

Septimò, fi abfolutus aut punitus tantum fuit in foro Confcientiæ interno; quia in isto facta accufatio & punitio non ad vindictam publicam & Reipublicæ per crimen læfæ fatisfactionem: fed ad Dei tantum peccatò offensi reconciliationem tendit, Gloffâ *fin. in cit. c. cit.* Panormit. *n. 3.* Clarus *n. 10.* & Decianus *n. 28.*

Octavò, fi crimen efferet fori Mixti, v.g. adulterium, ufura, facrilgium, magia; cum à tali crimine in uno tribunali abfolutum vel condemnatum in alio diverfi ordinis tribunali denuo accufari aliquando poffe, pateat ex dictis *Lib. 2. tit. 2. à n. 97.*

ARTICULUS III. De Denuntiationibus.

SUMMARIUM.

56. Hæc vel Evangelica, vel Canonica, vel Judicialis est.
57. Ordo fervandus in Evangelica,
58. Ferè omnibus competente,
59. Ejus tamen quidam confilium tantum:
60. Alij etiam præceptum agnoscunt,
61. Paucis casibus exceptis.
62. Ejus Ordini renuntiare poffe, negantium
63. Et affirmantium verior Opinio.
64. Et defaño renuntiat in Societate JESU.
65. Non denuntiat plenè emendatus.
66. Canonica vel Generalis est, vel Specialis:

67. Qua-

67. *Quarum illa cuilibet: hac iis competit, quorum interest.*
 68. *Judicialis vel est Privata, proprium interesse denuntians:*
 69. *Vel publica, vindictam publicam spectans.*

56. **D**enuntiatio in genere est Delatio sive manifestatio criminis superiori facta sine solennitate, ut patet ex dictis n. 19. Ejus tres species, Evangelicam, Canonicam & Judicialem, cum Panormit. in c. *Novit* 13. de *Judiciis* n. 33. Speculat. *Tit. de Denuntiatione* §. 2. n. 8. & Maranta de *Ord. Judic. p. 6. Tit. de Denuntiat. n. 1.*, passim referunt & variè explicant DD.

57. Evangelica, sic dicta; quòd à Christo tradita sit in Evangelio, Matth. *cap. 18. v. 15.* est, Alicujus criminis rei ad superiorem delatio, non; ut ille inflicta penà publicè pleclatur: sed; ut ad pœnitentiam perducatur & correctus resipiscat. Unde observandus in ea est ordo à Christo Domino præscriptus: vi cujus delinquens imprimis privatim, *Corripe eum inter te & ipsum solum V. 15. cit.* dein coram uno vel duobus testibus corripiatur, *Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, V. 16.* & si, secretis his admonitionibus insuper habitis, non resipiscat, tum demum ad Ecclesiã sive superiorè, tanquã patrem, corrigendus deferatur, *Quodsi non audierit eos, testes adhibitos, dic Ecclesia, V. 17.* Palao *Tracl. 6. disp. 3. p. 8. num. 1.*

58. Atque hæc denuntiatio locum habet in omnibus delictis, etiam occultis, quæ per duos testes, etiam infames & irregulares, probari possunt: dummodo in peccato præsertim graviore & scandaloso ipsi non perseverent, Glossa in c. *Si peccaverit* 19. V. *Eodem*, 2. q. 1. *cit.* Panorm. n. 39. & Speculat. n. 8. qui enim propria

non corrigit, præterquam quòd indignus sit, ut corrigat & audiatur, juxta illud, *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui*, Matth. *cap. 7. V. 3.* non bonò zelò denuntiare præsumitur peccata aliena, ut cum Archidiacono in *can. cit.* observant DD. *cit.*

Dubium hinc oritur, an relatus fraternæ correctionis ordo sit præceptus, 59. Ejus enim consilium duntaxat, saltem respectu laicorum, agnoscunt Glossa in *can. Si peccaveris, V. cit.* cui eius præceptum nimis durum: & Salmeron *Tom. 4. in Evangel. p. 3. tracl. 11.* cui id de iis tantum peccatis, quæ iniuriosa & damnosa sunt ipsi corripienti, intelligendum, videtur, propter verba, *Si peccaverit in te, V. 15. cit.*

Sed meliùs, eum non Divinò tantum, 60. sed Naturali etiam Jure regulariter præceptum, & in aliis etiam proximi peccatis omnibus observandum, ex D. Thomæ 2. 2. q. 33. *art. 7.* aliorumque DD. & Interpp. communi sententia docent Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 10. cap. 7. à n. 10.* Coninck *disp. 28. dub. 8. n. 138.* & Cornel. à Lapide in *Matth. cap. cit. V. 15. §. Tertio*, Palao *cit. p. 8. n. 3.* & alii. Et quidem, eius præceptum Divinum Evangelicum esse, aperte decisum est ab Alexandro III. & Innocent. III. eiusmodi fraternam correctionem *Mandatum Divinum* aut *Evangelicam Regulam* vocantibus c. *Novit cit. V. Et Rex, c. Licet* 31. V. *Cum igitur, de Simonia & c. Cum ex injuncto* 12. V. *Ne quisquam, de Hereticis.* Juris etiam Naturalis id esse, evincit ratio; quia lex Charitatis dicitur & exigit; ut proximus peccans corrigendò in salutis semitam reducatur: & ut id cum minori eius famæ & honoris damno præstetur; ac proinde, si secreta monitio sufficiat, à denuntiatione Ecclesiæ faciendâ abstinemus; ne erroris non tam correctores simus, quàm proditores,

tores, iuxta *can. Si peccaverit cit.* Quæ Charitatis lex, cum omnibus insita à natura sit, omnes obligabit, *c. Ex injuncto cit.* ibi *Quod fratrem peccantem corrigere quiaque tenetur, secundum Regulam Evangelicam.*

Neque aliud desumitur ex verbis, *Si peccaverit in te*; quia ea de peccato non specialiter contra te, ut sonant: sed te sciente, sive cum tuo contemptu & scandalo commissò, cum SS. Augustino *can. cit.* & Chrysostomo aliisque PP. explicant *cit.* Suarez n. 12. & Lorca 2. 2. q. 33. art. 8. disp. 46. memb. 1. n. 12. quòd, si de peccato in nos sive iniuriis nobis illatis, etiam de peccato in proximum, quem sicut nos, & multò magis de eo in Deum, quem plùs quàm nos diligere debemus, Matth. cap. 22. v. 37. commissò sint exaudienda, ut rectè arguit *cit.* Cornelius §. *Dices*, ubi propterea asserit per Synechochen sub nobis illatis omnia peccata comprehendi,

Neque eiusmodi præceptum nimis est durum; quia non obligat pro omnibus circumstantiis; sunt enim varii casus, quibus delinquens, dicto ordine non observato, statim denuntiari potest & sæpe debet **61.** superiori: videlicet Primò, quando secreta correctio nobis damnosa, aut peccanti non profutura iudicatur ad correctionem, iuxta illud, S. Augustini, *Si scirem, non tibi prodesse, non te admonerem, can. Si quis 4. dist. 7. de Penit.* Secundò, quando delictum est notorium; tali enim casu ius ad famam est amissum, & bonum publicum exigit; ut delictum non maneat impunitum, iuxta illud, *Peccantes coram omnibus argue; ut & ceteris. morem habeant, 1. Timoth. cap. 5. v. 20.* Tertio, quando delictum etiam occultum cedit in damnum Reipublicæ, aut etiam tertii privati: & id secretà monitione impediri non potest, iuxta dicta n. 43. Quar-

tò, quando delictum sibi statim denuntiari præcipit Prælatus, ut respectu certorum delictorum solent Inquisitores hæreticæ pravitatis, Palao *cit. disp. 3. p. 13. n. 4.* Unde

Dubium secundum oritur, an dicto **62.** Evangelicæ denuntiationis & correctionis ordini valeat renuntiari. Hoc certè cum Philiarcho *de Officio Sacerdot. tom. 5. p. 1. cap. 14. negat cit.* Lorca *disp. 47. n. 13.* eà ductus ratione; quòd dictus ordo Divino Jure præscriptus sit non tantum ob bonum famæ proximi, sed publicum etiam ipsius privatæ correctionis, multum conferentis ad pacem & quietem communitatum, ad rixarum, aliorumque incommodorum evitacionem. Ita isti, & in speciem solidè. Sed in speciem tantum; quia huic fini non obest manifestatio defectus, facta ex voluntate ipsius delinquentis, spiritalis profectus studio iuri suo renuntiantis: sicut fini intento per sigillum Sacramentale non obest manifestatio facta ex voluntate & expressâ licentiâ ipsius confitentis, ut rectè observat Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 18. n. 43. & cit. Palao p. 9. n. 1.*

Quare melius DD. isti cum Suarez **63.** *cit. Lib. 10. cap. 7. n. 28. Coninck disp. 28. dub. 11. n. 297. Ribadeneira de Instituto Societatis JESU cap. 34.* aliisque præcipui nominis ac notæ DD. ejusmodi renuntiationem cuiuslibet in particulari, & totis præsertim communitatibus permittam, imò laudabilem esse, defendunt; quòd quilibet sit dominus suæ famæ & honoris, secundum communem & ab adversariis etiam receptam doctrinam D. Thomæ 2. 2. q. 64. art. 5. ad 3. ac proinde juri suo renuntiare famæque detrimentum subire ex fine honesto possit, *arg. c. Si de terra 6. de Privileg.* sicut defacto statutum & usu receptum est in memorata sanctissimi Nominis JESU societate, in qua studio abnegationis propriæ ma-

pria majorisque profectus spiritualis, faciliusque emendationis & securitatis à relapsu quilibet boni consulere debet, quoslibet etiam occultos defectus suos per quemcunque, qui eos extra confessionem intellexerit, statim & secretà correctione vel monitione non pramissà, manifestari superiori, *Exam. General. cap. 4. n. 8. Summar. Constit. Reg. 9. & 10. & Congreg. VI. General. decret. 52.* Confirmatur partim; quòd cuilibet permissa, imò laudabilis sit propriorum & occultorum etiam defectuum manifestatio, humilitatis & profectus spiritualis studiò facta proprio Prælato vel alteri. Cur non ob ejusmodi finem valeat permittere, ut idem ab aliis fiat? partim verò autoritate Gregorii XIII. Societatis

64. JESU Institutum non solum cum Paulo & Julio III. approbantis: sed insuper ejus & cujuscunque Constitutionis impugnationem sub pœna excommunicationis prohibentis, *Constitutione*, quæ incipit *Ascendente*, edità Calend. Junii 1584. & Libellum cujusdam, qui memoratam de defectuum manifestatione ordinationem impugnavit, damnantis, ut præter alios testis est Alphonf. Rodriguez *p. 3. Exercitij Perfecti. tract. 8. cap. 6.* & Palao *cit. p. 9. n. 4.*

Rectè tamen hoc loco advertunt *citt.* Sanchez *cap. 18. n. 50.* & Suarez *cap. 12. n. 3.* cessionem illam famæ respectu defectus occulti in Societate tantum fieri, ut ad superiorem, tanquam Patrem: non tanquam Judicem deferatur; quia sic cidenti est utilior & minus onerosa: quò modò actus gestus in dubio semper præsumitur, ut latè ostendit Menochius *Lib. 3. Præsumpt. 156. n. 16.* Unde, licet Prælati in denuntiatum animadvertere queat moderatà & paternà correctione, judicialiter tamen & rigorosè contra eum procedere non potest, ut ex allegatæ So-

cietatis Jure Sanchez & Suarez *l. cit.* ostendunt. Hinc quoque

Dubium tertium oritur, an superiori denuntiari valeat delictum Religiosi jam emendati. Id enim affirmant Gabriel *in 4. dist. 19. art. 1. q. 1.* Rosella *V. Inquisitio*, & Angelus *V. Denuntiatio, n. 10.* quòd ejusmodi delicti manifestatio prodesse possit, quin obfit; cum, illò cognitò, superior peccandi occasiones & pericula removeare valeat, quin ad delinquentis punitionem procedat. Verius tamen, plenè emendatum ei denuntiari posse, cum S. Thoma *Quodlibet. 11. art. 13. ad 3.* Navarro *Manual. cap. 24. n. 23.* & Soto *Relect. de Secreto, memb. 2. q. 4. concl. 4.* negant Valencia *2. 2. disp. 3. q. 10. p. 5. §. Sed retius, citt.* Sanchez *cap. 18. n. 49. & 60.* Palao *p. 12. n. 4.* & alii, id desumentes ex verbis, *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, v. 15. cit.* quibus Christus, fratre emendatò, desistendum non obscure insinuat: quòd etiam suadet ratio; cum Evangelica denuntiatio in delictis occultis ex Divina institutione ordinetur ad correctionem fratris delinquentis; ac proinde, isto plenè emendatò, sublatòque relapsus periculò, cesset, *arg. c. Cum cessante 60. de Appellat. Plenè*, inquam; quia, si de omnimoda emendatione non constaret, aut recidivæ damnivæ ex peccato secuturi periculum subesset, delinquentis denuntiationi locum adhuc fore, *DD. citt.* non inficiantur.

Canonica, sive à sacris Canonibus 66. introduccta, denuntiatio duplex est, scilicet Generalis & Specialis, Maranta *Tit. cit. n. 7.* & Honorius *ad hanc Rubr. n. 77.* Generali apud superiorem agitur; ut delictum, vel publicum aliquod, aut etiam privatum damnum vel incommodum ejusve continuatio impediatur, v.g. ne contrahatur matrimonium cum impedimento

mento impediēte, aut; ut cum dirimente contractum diffolvatur, *c. Præterea 12. de Spons. & matrim. c. Ad diffolvendum 13. de Desponsat. impub. & c. fin. de Claudef. de spons.* aut; ne indignus ordinetur: aut, qui malè præfuturus iudicatur, eligatur aut inflituatur, *cit. Maranta n. 7. & Vallent. ad hanc Rubr. §. & n. 5.* Cujusmodi denuntiatio præviam monitionem ferè non exigit, Gloffa *in c. Ad diffolvendum cit. V. Denuntiari,* ad eamque quivis tenetur: si eam facere poffit fine gravi fuo incommodo, & ad damnum vel peccatum eorumve continuationem impediendam iudicet profuturam, Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 87.*

67. Specialis eidem fit; ut, qui malè præest vel adminiftrat, corrigatur: aut, si post trinam vel binam faltem admonitionem incorrigibilis fit, à prælatura, officio vel beneficio removeatur, *can. Metropolit. tanum 44. can. Sicut 45. & c. 2. q. 7. can. Filiis 16. q. 7. c. 1. de Officio Custod. & c. Licet 31. de Simonia.*

Ad harum denuntiationem priorem five generalem per fe quilibet tenetur, juxta dicta *Lib. 4. tit. 3. à n. 14.* Posterior five specialis denuntiatio iis tantum competit, quorum intereft, bonum Prælatum, adminiftratorem, fubditum habere, Panormit. *in c. Novit. 13. de Judiciis n. 59. & Maranta Tit. de Denuntiat. cit. n. 7.*

68. Judicialis, à iudicio & judiciali modo procedendi fic dicta, denuntiatio est Delatio criminis ad fuperiorem tanquam iudicem: quæ etiam duplex est. Una privata, quæ denuntians proprium fuum intereffe, five privati damni reparationem aut debiti fatisfactionem intendit: fic fit, cum filius aut fervus à parente vel domino, adverfus quos ipfi actio vel accusatio non competit, §. *Sed hoc 2. Infit. de His, qui fui vel alieni juris & l.*

1. §. *Quod autem 8. ff. de Offic. Præfetti urb. indebitè gravati:* cum alius ex pacto nudo, vel ex contractu infra dimidium est lætus, fecundum Innocent. & dicta *Lib. 1. tit. 35. à n. 17. & Lib. 3. tit. 17. n. 58.* cum Monachus vel conversus à fuo Prælato vel fuperiore: rusticus vel persona miserabilis ab aliquo potentiore oppreffus, fuum gravamen denuntiant iudici, ut ab ipfo ex officio releventur, *cit. Panormit. n. 48. & 51. & Maranta n. 3.*

Quam denuntiationem, etiam non præmoniti, in foro Seculari admitti: in Ecclesiastico autem, cum emendæ & iniufti gravaminis tollendi probabilis spes est, ei secretam admonitionem, si absque incommodo potest, præmittendam, docent *cit. Panormit. n. 48. & Speculat. cit. §. 2. n. 12.* cum propter textus *can. Indignè, 12. q. 2. c. Novit cit. & c. Si quis 2. hanc Rubr.* tum propter legem Charitatis, quæ privata damna cum minimo, quò poffumus, proximi incommodo tollenda, docet.

Altera Publica, fpectans vindictam 69. & Reipublicæ per crimen lætæ fatisfactionem, inftar Accufationis: à qua tamen differt; quòd ad denuntiationem, etiam publicam, nulla opus fit infcriptione, *c. Super his 16. & denuntians etiam privatus non fubeat onus probandi, faltem ex recepta confuetudine: quæ cum tempore introductum est; ut crimina ad Magiftratus deferantur à constitutis publicis miniftris, juxta 1. Et quidem 7. C. de Accufat. & facta ab his denuntiatione, allatisque aliquibus criminum indicis, iudex in denuntiatum ex officio inquirit: fic, facta à canonicis denuntiatione dilapidationis aliorumque excessuum Epifcopi Frifingensis, in illorum veritatem inquitio iudicibus delegatis à Gregorio IX. commiffa est *c. fin.* Quæ denuntiatio per hujusmodi miniftros five Officiales publicos*

blicos fit, non præmissâ ullâ monitione, Speculat. cit. §. 2. n. 10. Cùm autem fit à privato, & personâ denunciandæ delictum occultum, ejusque corrigendæ & privati aut publici damni tollendi spes certa est, sicut accusationi juxta dicta. 11. sic etiam ipsi monitionem præmittendam, aliis DD. relatis docet cit. Sanchez cap. 2. dub. 5. n. 9. & Palao disp. 3. cit. p. 23. n. 8. qui tamen l. cit. §. n. 11. excipit crimen hæreseos & alia, quæ Ecclesiarum Prælati & Inquisitores sibi immediatè denuntiari jubent.

ARTICULUS IV.

De Inquisitionibus,

SUMMARIUM.

70. Definitio Inquisitionis :
71. In qua accusationis locò infamia est.
72. Dividitur in simpliciter Generalem, vel Specialem & Mixtam,
73. Vel bifariam in Generalem & Specialem.
74. Simpliciter generalia liberè fit.
75. Mixta prærequirit probabilem suspicionem :
76. Et simpliciter specialis infamiam :
77. Eamque clamoriam, si eà contra Secularem :
78. Minorem, si contra Regularem Prælatum procedatur.
79. Infamia non requiritur I. Si ad sint indicia :
80. II. Si delictum sit circumstantia alterius jam noti :
81. III. Si delinquentem publicus Officialis,
82. IV. Aut etiam privatus fide dignus denuntiet.

83. V. In hæresis & alijs enormibus criminibus :
84. VI. Si intendatur sola correctio delinquentis,
85. VII. Vel delictum in alicujus præjudicium tendat :
86. VIII. Si inquisitio fiat in subditum Regularem,
87. Et publica punitio non intendatur.
88. Facienda inquisitio est à judice competentè,
89. Et non, nisi consiteris de corpore delicti.
90. Exprimende in ea circumstantia loci & temporis :
91. Nisi earum expressio statuto &c. remittatur,
92. Vel delictum sit antiquum,
93. Aut tractum habeat successivum.
94. Inquisitioni locus non est contra absolutum,
95. Et ferè etiam contra absentem.
96. In infamatum de uno inquiri super alio crimine non potest.
97. Crimen per inquisitionem detectum secundùm Civile plebitur panâ ordinariâ :
98. Quæ Canonico jure mitigari permittitur :
99. Infigi tamen non prohibetur.

Inquisitio generatim sumpta est Crimenis vel criminosi per judicem legitime facta indagatio. Gonzalez in c. Inquisitionis 21. n. 8. quam introducendi ratio fuit; ne, deficientibus qui reos deferrent ad judices, delicta maximò Reipublicæ damnò manerent impunita, c. Qualiter 24. hâc Rubr. & l. Congruit 13. ff. de Offic. Præsid. Neque obstat; quòd ex una, idem esse nequeat accusator & judex, c. Forus 10. de V. S. ubi judex, actor, reus & testes, tanquam personæ in judicio distinctæ

finctæ ac necessariæ referuntur: ex altera verò parte, sine accusatore nemo sit condemnandus, *can. De manifesta* 17. §. *Sed sciendum*, 2. q. 1. *Et c. Unic. pr. Ut benef. sine diminut.* & illud Servatoris, mulieri à nemine accusatæ dicentis, *Nee ego te condemno*, *Joan. cap. 8. v. 10.*

71. Non, inquam, hoc obstat; quia, cum per inquisitionis viam proceditur, accusatoris vicem non iudex, sed publica infamia, criminis indicia &c. suppleant, juxta *c. Qualiter cit. verba, Non quasi idem sit accusator & iudex: sed quasi denuntiante famâ, vel deferente clamore officii sui debium exequatur*, ut DD. passim advertunt cum S. Thoma 2, 2. q. 67. art. 3. ad 2.

72. Est autem Inquisitio triplex. Una simpliciter Generalis, quâ vg. Prælati Ecclesiastici ex mero officio, nullâ certâ personâ & crimine expressô investigat, an in provincia, diœcesi, civitate vel monasterio crimina quædam vel excessus committantur, *c. 1. de Offic. Ordin. c. Grave 29. de Præbend. & dignit. c. Sicut 25. hæc Rubr. & c. Romana 1. de Censibus in 6.* vel Præfes provinciarum, aut alius magistratus Secularis initiô suæ gubernationis, aut etiam postea, in homines facinorosos & delicta, in suæ jurisdictionis territorio perpetrata, generatim inquirat, juxta *l. Congruit cit. Clarus §. fin. q. 3. n. 1.* Altera simpliciter Specialis, quâ iudex vel ex mero officio, vel ad alicujus offensâ querelam, vel ad officialis publici denuntiationem in certam personam de certo & speciali delicto, an istius rea sit, indagat, juxta *l. Ea quidem 7. C. de Accusat.* Tertia Mixta, sive partim generalis, partim specialis, quâ vel nullô determinatô crimine expressô, in certam personam, an & quæ crimina perpetrârit, quod raritùs: vel, quod frequentius contingit, nullâ certâ personâ

expressâ, in certi criminis vg. homicidii aut furti commissi autorem, inquiritur, Sylvelter *V. Inquisitio* 1, n. 1. & Gonzalez *in e. cit. n. 10.*

73. Rectè tamen uterque notat, à DD. passim duas tantùm inquisitionis species agnosci. Generalem, quâ alicujus provinciarum vel loci status omnino generaliter vel potius, quâ certi delicti autor nullâ personâ expressâ: & Specialem, quâ de una vel pluribus certis ac determinatis personis, an delicti, quod commissum esse constat, reâ vel participes sint, investigatur. Quorum prior ad delinquentem investigandû: posterior ad eum condemnandum & puniendum tendit, ut cum Innocentio *in c. Bone 23. de Electio- ne, totius mundi praxi allegatâ, tradunt Clarus §. fin. q. 5. n. 2. & Farinac. Prax. Criminal. q. 1. n. 4.*

74. Per harum Inquisitionem priorem sive Generalem delicti autor investigari potest, etiam si nulla cujusquam certâ personæ infamia præcedat: sicut constat ex communi DD. sensu, & docent Clarus & Farinac. *Prax. Criminal. ille §. fin. q. 6. n. 1. iste q. 9. n. 10.* Ratio est; quia per eam nemini fit injuria; cum, qui criminis notitiam habent, solummodo, an ejus autorem sciant: & si hunc ignorent, an aliquis (nemine nominatim expressô) de illo diffamatus: an ejus diffamatio publica & ab honestis fidèque dignis personis orta sit, interrogentur: & antequam certa aliqua persona ita diffamata reperiat, ad specialem inquisitionem contra neminem procedatur, ut rem hanc explicat Clarus *cit. q. 5. n. 2.* Ubi

75. Dubium est, an generalis hæc inquisitio prorsus nullam; etiam delicti, infamiam prærequirat. Eam non prærequiri ad inquisitionem simpliciter generalem, sive, ut etiam vocatur, Generalissimam, exploratum est; cum à S. Synodo Tri-

do Trident. Sess. 7. § 21. utrobique cap. 8. de Reformat. Episcopi ad dioecesium suarum visitationem annuam obligentur; & à Prælatibus Regularibus Monasteria & Religiosorum conventus statis temporibus visitari videamus: quantumvis nullam delictorum quam delinquentium diffamatio, imò etiam suspicio præcedat. Ad Mixtam autem sive inquisitionem generalem, respectu solarum personarum, delicti saltem diffamationem aliqui exigunt apud Passerin. *Tribunal. Regular. q. 2. n. 27.* Sed immeritò; cum iis, quos allegant, textibus omnibus sermo sit de inquisitione speciali. Unde melius ad Mixtam, sive cum quis criminis reus sit, generaliter, sive nullam certam personam expressam, investigatur, delicti diffamationem non exigi, sed verisimilem sive rationabilem ejus suspensionem sufficere, idem ait n. 14. § 37. cit.

76. Posteriorem autem sive Specialem, quâ in certam personam, an criminis perpetrati rea sit, inquiritur, regulariter præcedere debet publica illius infamia, c. *Cum oporteat* 19. c. *Inquisitioni* 21. §. *Tertio*, c. *Qualiter* 21. hâc Rubr. c. 1. c. *Si is cui* 2. in 6. § c. *Licet* 31. de *Simoniam*. Ratio est partim; quia iudex ad criminum punitionem procedere non debet, nisi ex scientia publica: publica autem non est de crimine, quod neque per facti evidentiam aut legitimam probationem reive confessionem notorium, neque publicam diffamationem aut huic æquivalente aliam insinuationem in iudicium est deductum: partim verò; quod per inquisitionem Specialem suspectus reddatur & famæ atque existimationis iacturam patiat is, contra quem, an homicida, adulter, fur aut magus sit, juridicè inquiritur: quod sine gravi causa non licet, præsertim, si inquisitio fieret in Prælatum Secularem: contra quem, nisi in-

77. famia clamorosa sit, & crimen in grave scandalum vel Ecclesiæ damnum cedat, ut v.g. sunt incontinentia, dilapidatio, hæresis, Simonia, ad Specialem inquisitionem non procedendum, desumitur ex c. *Qualiter* cit. & ibi notat Panormit. n. 9. Hostien. *Tit. de Inquisit. n. 4.* & Sylvester *V. cit. q. 4. pr.*

famia clamorosa sit, & crimen in grave scandalum vel Ecclesiæ damnum cedat, ut v.g. sunt incontinentia, dilapidatio, hæresis, Simonia, ad Specialem inquisitionem non procedendum, desumitur ex c. *Qualiter* cit. & ibi notat Panormit. n. 9. Hostien. *Tit. de Inquisit. n. 4.* & Sylvester *V. cit. q. 4. pr.*

Dixi, *In Secularem*; quia, ut Speciali inquisitione contra hunc præcedatur, major infamia prærequiritur, quam; ut ita procedatur contra Prælatum Regularem; quia illius diffamatio non solum clamorosa, sed talis esse debet; ut sine gravi scandalo dissimulari & sine periculo tolerari non possit, c. *Qualiter* cit. *V. Sed cum super*; cum adversus Regularem sufficiat, cujus dissimulatio & tolerantia scandalum saltem grave & periculum non afferret, ut cum Panormit. in *cit. c. n. 9.* & Sylvestro *V. Inquisitio, q. 4. pr.* advertit cit. Sanchez *dub. 25. n. 6.* Atque hæc diffamatio ut Specialem inquisitionem præcedat, ita necessarium est; ut, eâ non præcedente, à iudice, tam ordinario quam delegato, institutus processus sit nullus, ut in c. *Inquisitionis* §. *Tertio* § c. *Qualiter* 24. cit. notant DD. & per subsecutam delicti plenam probationem, ipsamque criminis confessionem non convalescat; ut de eo inquisitus condemnari & puniri possit, Speculat. *Tit. de Inquisitione* §. 4. n. 6. & multis relictis Farinacius *cit. q. 9. § 2. n. 9.* nisi iste in inquisitione esset præsens; & cum, se de crimine non diffamatum, posset opponere & contradicere, taceret; hoc enim casu juri suo renuntiare & contra se formatum processum approbare, censeretur; neque eum postea posset impugnare, c. *Si quis* 2. in 6. Clarus *q. 6. n. 9.* & Farinac. *cit. n. 12.*

Dixi, *Regulariter*; quia hæcenus firmata infamiae necessitas perpetua non est; cum

est; cum fati multis casibus speciali inquisitioni locus sit adversus delinquentem, criminis infamiam non laborantem: veluti

Primo, si contra eum adsint, vel in inquisitione se prodant criminis indicia valde propinqua; quia hæc succedunt loco diffamationis, ut patet ex Urbis & Orbis totius Curiarum praxi apud Farinac. *cit. q. 9. n. 20. & Guazzinum Reor. Defens. q. cap. 1. n. 14.* qui, indicia quandoque publicâ diffamatione potiora esse, & sufficere, volunt: etiam si solum probabilia seu verisimilia & minora sint, quam Jure exiguntur ad torturam. Quænam autem talia in praxi censenda sint, arbitrio judicis cum *cit. Claro q. 20. n. 2. relinquit idem Farinac. q. 1. n. 45.*

80. Secundo, quando unum delictum est circumstantia alterius, de quo persona convicta, infamata, aut indicis gravata est, vel cum eo connexum, vel plerumque conjunctum esse solet; tali enim casu specialiter inquiri etiam de illo potest, quantumvis de eo in specie infamia aut indicia non habeantur, præsertim si delictum, quod cum eo connexum est, frequenter commissum & per plures annos sit continuatum, Innocent. *in c. Qualiter 17. n. 3. ubi Panormit. n. 7. & Sylvestro V. cit. q. 6.* sic enim in eum, qui convictus est de adulterina consuetudine cum conjugata, de cæde mariti in adulteræ camera reperti: in infamatum de homicidio, de spoliatione cadaveris occisi: in eum, qui furatus est in Ecclesia, de forium effractione specialiter inquiri posse, cum *cit.* aliisque DD. monet *cit. Sanchez cap. 3. dub. 21.*

81. Tertio, quando judex procedit ad denuntiationem publici officialis, *l. Ea quidem cit.* vel per generalem inquisitionem in alicujus rei noticiam pervenit; tali enim casu, ne inquisitio illa frustra-

nea sit, descendere potest ad specialem, ad quam generalis præparatoria est, Maranta *cit. p. 6. n. 24.*

Quarto etiam, quando persona judici denuntiatur à viro privato, sed probato fidèque digno; hoc enim casu locus saltem est speciali inquisitioni super personæ denuntiatae infamia: quâ ita competat etiam super ipso crimine inquiri potest, Panormit. *in c. Licet 14. n. 4. ubi Felin. n. 3. & Farinac. q. cit. n. 17.* *A probo*, inquam, & *Fide digno*: qualis non est socius criminis, cujus dictum sine infamia vel aliis indicis, sicut ad torturam, sic etiam ad inquisitionem specialem super personæ delicto sufficiens non est, *cit. Maranta n. 13.*

83. Quinto, in læsæ Majestatis, hæresis, apostasiæ & aliis criminibus enormibus, atque in Reipublicâ grave damnum tendentibus delictis: in quæ sine diffamatione, extante tamen non levi suspicionem, de personâ specialiter inquiri posse, aliis DD. congestis, docet idem Farinac. *n. 14. & 15.*

84. Sexto, quando inquisitio non tendit ad publicam punitionem: sed ad solam correctionem delinquentis, aut damni evitacionem: ut, cum inquiritur in vitam ac mores personæ evehendæ ad prælaturam vel dignitatem, ad parochiam vel ordines promovendæ; tali enim casu, ne cum damno Ecclesiarum & animarum periculo indigni promoveantur, de delictis non diffamatis neque denuntiatis inquiri posse, cum Panormit. *in c. Qualiter 24. cit. n. 11. & Sylvestro V. cit. q. 4. d. 3. tradit cit. Maranta n. 32.*

85. Septimo, quando delictum directè tendit in præjudicium tertii privati & multò magis Reipublicæ; tum enim ad evitandum saltem & tollendum præjudicium vel damnum futurum, quomodo cunque delictum cognoscatur, inquirendum ejus.

dum ejusque reum coërcendum, cum Innocentio in *c. Iscet 31. de Simonia n. 1. doct Sanchez cit. dub. 19. n. 15.*

86. Octavo, specialem inquisitionem in Religiosum non diffamatum Prælo Regulari permittunt aliqui apud *cit. Sanchez dub. 25. n. 2. id deluentes ex c. In singulis 7. de Statu Monach. Sed male; quia hoc textu sermo est de inquisitione, quæ fit per visitatores & omnino generali, ut in *c. cit.* notat Barbofa *n. 17. & cit. Sanchez n. 4.* Unde melius iste adhibet distinctionem; vel enim intenditur sola Religiosi correctio? & tunc, ejusmodi inquisitioni locum esse, cum Sylvestro *V. cit. q. 3. d. 2. facile concedit n. 3. quod non publicum duntaxat Religiosis; sed privatum etiam ipsius Religiosi favorem & utilitatem spectet, & nullum vel non æstimabile præjudicium afferat.**

87. Vel intenditur delinquentis poena, præsertim gravis v.g. depositio, incarceration ejectio &c. ? & tunc, ut inquisitionem infamia præcedat, cum *cit. Sylvestro & aliis DD. merito requirit; propter generalem dispositionem Juris, ad ejusmodi inquisitionem delinquentis diffamationem exigentis, & non excipientis Regulares.*

Quantumvis autem prævia infamia etiam contra hos exigatur, Juris tamen ordo, cum adversus eos proceditur, non usquequaque, hoc est, ejus apices ac solennitates non ita accuratè omnes observantur, *c. Qualiter 24. V. fin. ubi Joan. Andr. n. 31. Hostiens. V. Usquequaque & Sanchez l. cit. n. 4. in fine.*

88. Præter infamiam, aut huic æquivalentia indicia, ad eandem inquisitionem specialem requiritur

Primo; ut fiat à giudice competente, *arg. Rubr. & sext. C. Si à giudice non compet. sive; ut persona, contra quam per ipsam proceditur, subist jurisdictione*

inquirentis, *l. 1. C. Ubi de crimine agi oport. Sylvestro V. cit. q. 1. d. 2. & cit. Maranta n. 102. Unde, quæ à giudice Seculari contra personas Ecclesiasticas formatur, ipsò jure nulla est, c. At si clerici 4. c. Cum non ab homine 10. de Judiciis c. Nullus 2. & c. Si diligenti 12. de Foro compet.*

Secundo; ut, quando delictum non 89. solò animò, sed factò perficitur, priusquam contra certam personam inquiretur, de corpore delicti, sive hoc commissum esse, constet, *l. 1. §. 24. & l. Necessarios 5. §. 2. ff. ad S. C. Syllan. adeò; ut, an homicidii aut furti autor Titius sit, per specialem inquisitionem investigari non possit, nisi furtum vel homicidium perpetratum esse constet: & licet Titius ejusmodi delictum commissum confiteatur, is tamen condemnari & torqueri nequeat, antequam de illo commissio notitia habeatur, *cit. Clarus q. 4. n. 1. Farinac. q. 2. n. 1. & Guazzinus Reor. Defens. 4. cap. 1. n. 1. & Bruneman. in l. 1. cit. n. 4. ubi, delicti corpus & notitiam esse, ait, totius processus Criminalis fundamentum.**

Quomodo autem judici, specialis inquisitionis viâ procedenti, de illo constare debeat, ut planum reddatur, discrimen statuendum est inter delicta; horum enim aliqua sunt facti Permanentis, & post se vestigia relinquunt: ut homicidium, furtum commissum cum effractione, incendium, falsatio monetæ &c. alia facti Transientis, & vestigia post se non relinquunt: ut blasphemiam, magia, injuria verbalis &c. De quorum prioribus judici constare debet liquidè & certò, puta, per ocularem inspectionem cadaveris hominis occisi, effractæ cistæ, ædium exultarum, falsæ monetæ &c. Nisi delictum sit occultum, ut v.g. si Caius occisus & projectus sit in mare, vel profluen-

- profluentem; de hoc enim, & de prioribus sive facti transeuntis delictis sufficit constare per indicia, conjecturas & præsumptiones; quod in ipsis delicti corpus certo investigari non possit, *citt.* Clarus *n. 7.* Farinacius *n. 13.* & Guazzin. *cap. 2. n. 13.*
90. Tertiò; ut inquisitio contineat delicti circumstantias, præsertim loci ac temporis, scilicet anni & mensis, ut de accusatione supra dictum est *n. 23. citt.* Clarus *q. 31. n. 11.* & Farinac. *q. 1. n. 12.* id totius mundi praxi observari, asserentes ac desumens ex *l. Libellorum 3. ff. de Accusar.* quæ præscriptam formam etiam in Inquisitione, exceptâ inscriptione, observandam volunt. Neque id immeritò; cum enim inquisitio successerit locò accusationis, ad hanc requisitæ solennitates; ac proinde expressio loci ac temporis, ne sui defensio reo adimatur aut difficilior reddatur, etiam in inquisitione erunt observandæ, *citt.* Clarus *q. 31. n. 10.* & Farinac. *q. 1. n. 12.*
- Sunt tamen etiam casus, quibus inquisitio, eaque receptæ testium depositiones, sine mensis, & aliquando anni ac determinati loci expressione sustinentur:
91. veluti Primò, si alicubi vi statuti, aut huic æquivalentis tribunalium praxis, adversus certi generis delinquentes, v.g. usurarios aut concubinariorum diffamatos aut graviter suspectos summarie & solâ facti veritate inspectâ soleat procedi, Menoch, *Vol. 1. Consil. 100. n. 93.* & Farinac. *q. 1. n. 17.*
92. Secundò, quando crimen ante plures annos est perpetratum; ut verisimile sit, testes ejusmodi circumstantiarum non amplius recordari, Alexand. *Lib. 2. Consil. 69. à n. 3.* & Farinac. *q. 64. n. 93. & 99.* qui ejusmodi oblivionem quinquenniò, quandoque trienniò, aliquando etiam minoris temporis lapsu induci, vult *q. 79. n. 44.* idemque sentit
- Guazzinus *Defens. 19. cap. 7. n. 4.* Tertiò in delictis habentibus tractum successivum: ut sunt crimina hæreseos, usurarum, concubinatus, aut alterius consuetudinis carnalis, Menoch. *l. cit. n. 91.* Farinac. *q. 1. cit. n. 17.* & Tulchus *Pract. V. Libellus conclus. 320. n. 31.*
93. Quartò requiritur; ut is, contra quem judex de delicto aliquo vult inquirere, de eo non sit absolutus, neque ab eo actioni criminali sit præscriptum: ut de accusatione dictum supra *n. 23. & à n. 49.* de præscriptione *Lib. 2. tit. 26. à n. 128.*
94. Quintò; ut idem sit præsens, aut saltem citatus & per contumaciam absens, *citt.* Clarus *q. 11. n. 2.* & Farinac. *q. 1. n. 69.* qui tamen monent, licet hoc de Jure verum sit, Curiarum tamen praxi id non observari: sed de delicto etiam contra absentem non citatum inquire.
95. Dubium hoc locò est primò, an contra infamatum aut convictum de uno crimine inquire valeat super aliis, de quibus infamatus non est. Ratio dubitandi est; quia de uno infamatus, ad famam amisit jus: quod proinde non læditur ejusmodi inquisitione. Ita cum Paludano *in 4. dist. 19. q. 4. in fine* Sylvester *V. cit. q. 3. d. 4.* Sed rectè id negant Sotus *Lib. 3. de Justitia q. 6. art. 2. V. Enascitur* & alii, quos refert & sequitur Sanchez *Consil. Moral. Lib. 6. cap. 3. dub. 21. n. 2. in fine*; cum propter e. *Cum oporteat e. Inquisitionis & c. Qualiter* *citt.* textus, inquisitionem specialem non permittentes, nisi super crimine, de quo infamia aut clamorosa insinuatio, eive æquivalentia indicia præcesserunt: tum verò; quia infamatus de homicidio, non hoc ipso infamis est de sacrilegio, adulterio, aut furto. Unde dubitandi ratio non urget, nisi in criminibus, quæ sunt circumstantiæ, vel connexa aut plerumque conjuncta cum eo, de quo
- D
- quis con-

quis convictus est aut infamatus; de quibus specialiter inquiri posse, suprâ concessum est n. 80.

97. Dubium secundò est, an crimen detectum & probatum per viam inquisitionis poenâ ordinariâ puniri possit. De consuetudine & praxi tribunalium ordinariam infligi perinde, ut si in iudicium deductum esset per viam accusationis, cum Anguiano *Lib. 2. de LL. cap. 6. n. fin.* advertit Gonzalez *in c. Inquisitionis cit. n. 11.*

Idem de Jure Civili obtinere, notant Panormit. *in c. cit. n. 8.* Felinus *n. 3.* & Tiraquell. *de Penâ temperand. causa 53. n. 2.* id desumentes ex *l. Ordo 8. ff. de Publ. judic. l. Abolitio 2.* ibi, *Inquisitione factâ poena competens*, hoc est, Jure statuta & ordinaria, *ingeratur*, *C. de Abolition. § l. Qui sepulchra 4. C. de Sepulch. violat.* ubi huic crimini, sive per ordinariam accusationis, sive extraordinariam denuntiationis viam in iudicium deducatur, eadem poena decernitur infligenda: quos textus memorata tribunalium praxi interpretata potius esse, quam correxisse, censenda est, contra *cit. Gonzalez n. 12.*

98. De Jure autem Canonico extraordinariâ tantum poenâ locum esse, cum Felino *l. cit. n. 1.* volunt Maranta *p. 4. dist. 10. n. 6.* & Tiraquell. *cit. Causa 53. pr.* aliique, permoti textu *c. cit.* cuius *pr.* crimini per viam inquisitionis detecto ordinariâ depositionis poena infligi jubetur, quando crimen impedit executionem sive usum Ordinis & beneficii retentionem, etiam post peractam poenitentiam: qualia crimina sunt homicidium, susceptio Ordinis & affectio beneficii Ecclesiastici Simoniaca, *pr. c. cit.* quò poena aliàs dicitur moderanda. Rationem DD. *cit.* reddunt; quòd sine legitimo accusatore poenâ ordinariâ nemo

debeat puniri, §. *Sciendum*, post *eam. De manifesta 17.* junctâ Gloſâ, *2. q. 1. c. Unic. Ut benef. sine diminut. § c. 1. hâc Rubr.* qui ferè deficit, cum adversus eum proceditur per viam inquisitionis.

Sed, licet *c. Inquisitionis cit.* cum ita proceditur, spectatis personâ delinquentis meritis & delicti qualitatibus, poenâ moderatio & extraordinariâ inflictio permittatur; ordinariâ tamen infligi non prohibetur; ut ejus textu & *V. Poterit*, accuratius ponderatò *in c. Cum super 2. de Confess.* observant Panormit. *n. 10.* Laiman. *n. 1.* & Gonzalez *n. 7.* præsertim, si crimen Ecclesiæ valde esset invisum, ut dictum est *Lib. 2. Tit. 18. à n. 29.* sic enim *c. Cum super cit.* Canonico, cui institutò super crimine, quòd incidenter confessus erat, processu Inquisitionis, ut *ibi* cum Interpp. *cit.* notant Vivianus & Pirrhing *n. 18.* privationis officii & beneficii ordinariâ poena inflicta fuit. Neque ex hoc textu desumptum argumentum enervatur dicendò, ordinariam ibi inflictam; quòd canonici crimen fuerit Simonia, cui etiam per viam inquisitionis probato ordinariâ infligenda decernitur *c. Inquisitionis cit.* quia Simonia à dicto canonico commissa non fuit circa Ordinis aut beneficii proprii assecutionem, cui & homicidio poena ordinaria specialiter decernitur *c. cit.* sed circa alterius electionem, ut ex *c. Cum super cit.* textu liquet; circa quam committens Simoniam, peractâ poenitentia, proprium beneficium retinere potest, ut *ibi* cum Panormit. *n. 8.* observant Laiman. *n. 1.* & Pirrhing *l. cit.*

Eòdem modò *c. fin. de Celebrat. Miss.* ubi per viam inquisitionis processum est contra sacerdotem, qui, quòd in pane fermentato & scypho ligneo, sine igne sive lumine & aquâ, celebrasset, officio & beneficio perpetuò privatus, sive ab utroque

utroque depositus fuit: quæ ordinaria, eademque poena eft, quæ de Jure fuiffet infligenda, fi aduerfus eum proceffum fuiffet per viam accufationis. Idem perfuadet ratio partim; quia judex ex caufa imponere aliquando poteft poenam ordinariâ majorem, l. *Quid ergo* 13. §. 7. ff. de *His, qui not. infam.* præfertim quando, multis contumaciter delinquentibus, exemplò eft opus, l. *Aur facta* 16. §. fin. ff. de *Pœnis*. Cur non ordinariam five eam, quæ delicto ftatuta eft à Jure? partim; quòd ita evitetur omnimoda correctio Juris Civilis, in modo puniendi nullam differentiam facientis inter accufationem & inquifitionem, teste Bartolo in l. *Infamem* 7. ff. de *Publ. judic.* & confuetudo, quâ ordinaria etiâ, cum pofteriori viâ proceditur, infligitur, Juri non contraria fed consentanea evadat.

Neque aduerfatur ratio allata in contrarium, quia, fi ea urgeret, poenæ ordinariæ locus nunquam foret in inquifitione, contra *pr. c. Inquifitionis cit.* Accedit; quòd, cum inquifitio fuccefferit locò accufationis, poenæ, quæ in hac infligitur, locus etiam fit in illa: licet ea mitigari à facris Canonibus permittatur.

ARTICULUS V.

De Criminis Delatione per viam Exceptionis.

SUMMARIUM.

100. Crimen in judicium aliquando venit per Confessionem:
 101. Aliquando per Exceptionem, civiliter vel criminaliter propositam.
 102. Effectus Exceptionis civiliter,

103. Et criminaliter proposita.

104. In dubio proposita civiliter præsumitur.

PRæter ordinarios, hæcenus declaratos, duobus modis criminis in judicium deducuntur.

Unus eft Confessionis, *c. Cum super 2. de Confessis*, quâ de crimine in judicio factâ, ad instituendum super eo proceffum Inquifitionis redque poenam, etiam ordinariam, per sententiam infligendam, judici viam aperiri, dictum eft ad *Rubric. cit. n. 29.*

Alter Exceptionis, *c. Cum dilectus 2. de Ord. cognit. c. 1. de Except. & c. Super his 16. hæc Rubr.* idque duplici modò, civiliter, vg. ad accufatorem vel testem ab accufando vel testificando repellendum: vel criminaliter & ad vindictam, eum fcilicet non solum ab accufatione vel testificatione removendò: sed insuper intendendò; ut poena delicto comensurata per sententiam infligatur, *Clarus §. fin. q. 19. à n. 12. & Scaccia de Judic. Civil. & Crim. Lib. 1. cap. 75. n. 2.*

Priori modò, five civiliter excipiendò, si crimen opponatur, ex tali processu sequi non potest sententia criminalis, quâ accufator vel testis ad ordinariam vel extraordinariam poenam condemnatur, quantumvis crimen legitime fuerit probatum: sed solummodo à proposita accufatione vel testificatione per sententiam interlocutoriam quis removeri, *c. Cum dilectus cit. §. Verum.* Ratio est; quia judex officium suum impertiri & sententiam formare debet juxta formam five petitionem deductam in libello, seu finem, ad quem Actio vel Exceptio tendit, *c. Qualiter 24. hæc Rubr. & c. Licet 30. ibi, Ut juxta judicii formam sententia quoque dicitur, de Simonia.* civiliter autem excipiendò accufatori

D 2

cusatori vel testi crimen opponens, eum solummodo à proposita accusatione vel testificatione removeri, non ad poenam condemnari petit, *c. Cùm dilectus cit. & l. Exceptio 2. ff. de Exceptionibus*, Clarus *cit. n. 2.* Vivianus, *in c. cit. §. Sed per hoc & ibi Barboſa n. 5.* Ex tali, inquam, *processu*; quia iudici saltem aperitur via ad inchoandum novum processum; cùm, si ex ejusmodi exceptionis probationibus delictum appareat, ex officio inlituere valeat inquisitionem; & ad rei, crimen confessi, de eòve legitime convicti condemnationem & punitionem devenire, ut iidem observant *l. cit.*

Excipiendus etiam est casus, quò agenti criminaliter excipiendò obiicitur crimen, contingens delictum vel causam principalem; sic enim, si marito, uxorem accusanti de adulterio, excipiendò obiicitur lenocinium; quòd scilicet ejus persuasione adulterium sit commissum, crimine hoc probatò accusatoris condemnationem ad poenam ordinariam sequi: & si testi falsi testimonii, circa causam principalem dicti, crimen obiicitur, eum de isto legitime convictum poenà extraordinarià puniri posse, desumitur ex *l. Nullum 14. in fine C. de Testibus*, Laiman. *in c. 1. de Exception. n. 5. & 6.* Neque ad hoc novò processu opus esse, cum Bartolo *in l. Ex lege 2. §. Si publico 5. ff. ad L. Jul. de Adult. n. 20.* tradunt Decianus *Trat. Crim. Lib. 3. cap. 30. n. 2.* & Scaccia *cit. cap. 75. uterque n. 3.*

103 Posteriori modò excipiendò crimen obiiciens partes assumit accusatoris; & propterea imprimis istius instar objecti criminis locum & tempus exprimere & cætera observare debet, quæ supra à n. 21, declarata *l. Libellorum 3. ff. de Accusat. præscribuntur.* Ratio est; quia exceptio tendens ad vindictam accusationi æquiparatur, in eamque transit, Dein-

de, exceptione ab ipso legitime probatà; accusator aut testis, cui objecta est, non solum ab accusatione vel testificatione removendus: sed juxta petitionem excipientis ad poenam delicto à Jure impostam, vel istà deficiente, ad arbitrariam per sententiam est condemnandus, *cit.*, Clarus *n. 3.* & Scaccia *n. 2.* Demum, si is, cui crimen ita objectum est, adversariò in probatione deficiente, per sententiam absolvatur, super eo crimine de novo accusari ab alio etiam non potest, *arg. c. Super his cit. & l. Si cui 7. §. 2. ff. de Accusat. ubi Bartolus n. 5. & Decianus cit. cap. 30. n. 2.*

Hujusmodi exceptioni criminaliter objectæ simillima est exceptio, quæ ad prælaturam aliàmve dignitatem aut beneficium Ecclesiasticum per electionis confirmationem, aliàmve provisionem jam promotò, ejusque titulum assecuto obiicitur crimen, quod de Jure obstat ejus Consecrationi, Ordinationive aut missioni in possessionem; cùm, sicut posteriori casu v.g. accusator non solum ab accusatione repellitur, sed insuper puniatur: sic etiam talis, probatò crimine, non solum à Consecratione, Ordinationeve, vel possessionis apprehensione impediatur: sed insuper jure, per confirmationem aliàmve provisionem jam quæsità, scilicet titulò dignitatis vel alterius beneficii Ecclesiastici privetur, *c. Super his cit.* Ratio est partim; quòd hujusmodi exceptio imitatur accusationem, istiusque instar exigit inscriptionem *c. cit. ubi Joan. Andr. n. 10.* Vivianus §. *Excipiens*, & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 102.* tum verò ob favorem & utilitatem Ecclesiæ: cui, quia Prælatus aut Rector non consecratus, non ordinatus, aut carens administratione inutilis foret, Jure introductum est; ut crimine, quod excipiendò objectum est, probatò, non solum à jure quæ-

jure quærendo, scilicet consecratione, ordinatione, vel possessionis apprehensione impeditur: sed insuper privaretur jure per confirmationem aliamve provisionem quasitò, sive titulò dignitatis, aut alterius beneficii jam obtenti, DD. *citt.*

104. Porro in dubio, an crimen ab excipiente civiliter vel criminaliter objectum, & in iudicium deductum sit, id ci-

viliter objectum præsumitur; proinde, que id criminaliter in iudicium deductum asserenti probandi onus rectè imponit Decianus *cit. cap. 30. n. 4.* quòd contra se habeat Regulam de exceptione, naturâ suâ non ad vindictam, sed agentis intentionem excludendam tendente, *c. Cùm dilectus § 1. Exceptio citt.*



TITVLVS II.

De Calumniatoribus.

SUMMARIUM.

1. *Tribus modis accusatio temeraria evadit.*
2. *Calumnia alia Vera, alia Præsumpta est.*
3. *A præsumpta accusator aliquando liberatur;*
4. *Ut etiam non condemnetur in expensis;*
5. *Quas, si non excusetur, refundit,*
6. *Et Talionis pœnam, Canonico in quibusvis;*
7. *Civili Jure in Ordinariis criminibus incurrit.*
8. *Pœna illa non usu passim sublata est:*
9. *Sed restituta à Pio V.*
10. *Et in variis Religionibus recepta.*
11. *Falsi pœnis accusator per se non tenetur;*
12. *Infamis tamen sit, & irregularis;*
13. *Et beneficiis privatus deportatur.*
14. *Pœne Prævaricationis,*
15. *Et Tergiversationis.*

Accusatio, denuntiatioque ad superiorem Rubricam declarata aliquando temeraria atque, ut cætera delicta, sic etiam ipsæ pœnis obnoxia esse solent, & possunt tribus modis calumniandò, prævaricandò, tergiversandò, *can. Si quem §. Accusatorum, §. Prævaricator, 2. q. 3. §. l. i. §. l. e ff. ad S. C. Turpill.*

Calumniari hòc locò & in Criminalibus causis dicitur is, qui falsum crimen scienter ac dolò malò intendit, §§. *citt. de qua intentione seu delatione falsi criminis, & deferentis dolo, sive delationem ab eo ex malitia sive alterum infamandi studiò factam, si certò v.g. ex ipsius deferentis judiciali confessione, ex depositionibus testium, aliisve probationibus legitime receptis constet, calumniator Verus: Præsumptus autem calumniator dicitur, si defecerit in delati criminis probatione, *can. Calumniator 2. Scan. Si non probaverit 3 q. cit. cum enim, qui aliquem in iudicium vocat, paratas habere debeat probationes, l. Qui accusare 4. C. de Edendo,**

D 3

calum-